SYNODVS

SEVEROPOLITANA

A

JOANNE CAMILLO ROSSI

EPISCOPO

AN. CIƆIƆCCCXXIII CELEBRATA

ATQVE SS. DOMINO

PP. LEONI XII

INSCRIPTA

NEAPOLI

EX PACIANO TYPOGRAPHIO

CIƆIƆCCCXXVI.

Praecipiens custodire praecepta Apostolorum et Seniorum.

Act. xv. v. 41.

SANCTISSIMO DOMINO

LEONI PP. XII.

JOANNES CAMILLVS ROSSI

EPISCOPVS SANCTI SEVERI

Beatissime Pater.

» *AEmulare precamur cognominem tibi Papam, atque ut ille pul-» lulante tunc haeresi Eutychiana leoninum in morem spiritu expor-» rectus est, ut omnes norunt, dogmaticis suis epistolis: sic Tu, di-» cere audeo, juxta nomen quod geris, irrugi divinitus, vel potius » intona contra praesentem hanc haeresim, ut decet* (1) ». *Quod olim in fidei, morum, disciplinaeque osores cognominis tui Leoni scilicet III scribebat Monachorum ille Choriphaeus, Theodorus nempe Studita, quid ni et de Te maximo invictoque Leone, vel minimo Teanensium Apulorum Episcopo repetere fas sit; cum sive principem, sive aeternae urbis Episcopum, sive Jesu Christi Vicarium geras, Decessorum tuorum zelum, constantiam, uno verbo Leoninum prorsus robur, et vim in omnibus praeferas?*

(1) *Theod. Studit. Epist. L.* 1. *ep.* 33. *op. Sirm. tom. V. p.* 240. *ed. Ven.*

De Clarissimo Tui genere Umbro, eximiis dotibus, vereque herculeo labore difficillimis in legationibus per Germaniam, et Galliam praesertim exantlato non Te morabor; ne modestiae Tuae, cum tui parcissimus existimator sis, veluti injurius fiam.

Ibit tamen in saecula Te assiduas inter sacrasque vigilias quibus Catholicum Orbem complecteris, diuturna licet, magni Gregorii instar, valetudine tristatum, litterarum quoque, ingenuarum artium, rei demum publicae bono, vel tertio ineunte sacri principatus anno, plus ferme omnibus laborasse. Ibit, Te Vaticano Musaeo Bibliothecaeque non leve incrementum, Romanae magnificentiae reliquiis, Flavioque in primis Amphitheatro substructionem ac munimen, dicendi Magistris honorem, sapientiae doctoribus dignitatem praesidiumque, scientiis immo ipsis novum ordinem, spiritum, novam quasi patriam denique tribuisse. Ibit, mendicis quotidiana mensa abundantiusque paratum subsidium, domus amentibus amplior facta, reorum latior custodia, solum novae civitati ad Tyberis ostium aedificandae concessum, portus Leoninae civitatis commodo a fundamentis extructus, Arcadiae Vatibus pro solemnioribus comitiis locus in arce Capitolii datus, administrationis publicae ratio ad meliorem utique formam redacta, aes publicum ad decies centena millia extinctum, ager postremo, domusque civium ex triente vectigali levatus: quae sane cuncta, ne dum Augustis Trajanisve Te conferant, verum etiam magnis sanctisque Leonibus Nomen tuum exaequent par est.

Alio tamen me vocat numerosa, et piissima gloria tua. Antiquissimae, omnibusque cognitae Romanae Ecclesiae formam reliquis per orbem morum quoque, et disciplinae exemplar exhibere constituens, Apostolicam Urbis visitationem ab Urbano VIII coeptam, atque a duobus saeculis intermissam Basilicarum decore adaucto, piarum institutionum vigore firmato, sacris caeremoniis ad nitorem pristinum revocatis, utriusque cleri vitae honestate composita, moribusque populi ad meliorem frugem reductis, Leonino spiritu exporrectus ad exoptatum exitum propemodum perduxisti.

Juxta nomen autem quod geris divinitus irrugiens ubi primum ad summi Pontificatus apicem Te divina evexit clementia, de oneris gravitate cum eodem magno Leone expavescens, simulque de praesidio divino confidens, non solum praecipua Tridentini de reformatione capita Episcopis omnibus inculcanda duxisti, verum etiam ad sacra, et quotidiana de Fide certamina Leonis prope clamore christianas acies agminumque Israel duces ciere non distulisti.

Eccujus enim auribus Tuus ille clamor adversus Tollerantismum (*ut ajunt*) *vel potius* Indifferentismum *adhuc non reboat, qui adeo percrebuisse, et grassari dignoscitur, ut non solum sectas omnes; quae extra catholicam Ecclesiam sunt et revelationem tanquam basim et fundamentum oretenus admittunt; sed illas etiam societates, quae spreta divina revelatione purum* Deismum, *imo purum* Naturalismum *profitentur, illas quoque recte ambulare impudenter contendit?*

Cujus sensibus non obversatur Leonina illa vox adversus Biblicam Societatem *quae per totum mundum vagatur, contemptisque patrum traditionibus, Tridentini decretis, Catholicae Ecclesiae auctoritate Apostolicaeque sedis judicio in id totis viribus, initisque consiliis intendit, ut in vulgares linguas nationum omnium sacra vertantur, vel potius pervertantur Biblia: ex quo valde pertimescendum est, ne, sicut in aliquibus jam notis, ita et in caeteris interpretatione perversa* de Evangelio Christi, hominis fiat Evangelium, aut quod pejus est, Diaboli? (1)

Quem denique latere poterit quot quantosque conatus adversus quotidie succrescentes Jansenistarum surculos, in redivivos Pistoriensium damnatarum fabellarum satores, in repullulantes rejecti Ultrajectini schismatis traduces effeceris; quos omnes infensos, ac pertinacissimos homines Leonino more infremens iisdem ac antea censuris dirisque devotos, atque ab Ecclesiae comunione separatos, tamquam errantes, schismaticos, vitandosque habendos impavide edixisti. Nec tamen propterea a Leonis generositate declinans, qua paterna mansuetudine eosdem ad cor redire compuleris, quove gaudio ad ovile redeuntes excepturus sis, apostolico brevi sub die 19 *Augusti* 1825 *ad catholicos Belgii non satis exprimere vales.*

Haud alia profecto mente maximum, atque universale Jubilaeum, saeculi incassum rumoribus tenebrisque adversantibus, ad Apostolorum veneranda trophaea cunctis per orbem credentibus indixisti, summaque alacritate, forma factus gregis ex animo in valetudine tua sanctas quatuor Basilicas pedibus incedendo circumiens, maxima corporis Christi aedificatione, Catholicaeque Ecclesiae, *ut praemonueras* triumpho *ad auspicatissimam metam feliciter perductum toto mundo plaudente gratulabundus intueris. Num si maximo tibi gaudio fuit Nationum omnium gentes in Sion ascendentes aspicere, Principesque et Dynastas*

---

(1) *Encyclica* -- Ubi primum 3 *Maii* 1824.

Tibi Petrique Cathedrae provolutos complecti, Siciliarum vero Regem Franciscum (cujus paterno, egregioque principatui subesse glorior) Beatitudini tuae devotissimum Tuique amantissimum, propriis manibus ad Divi Petri Confessionem in genuà cum aeque pia, et augusta Conjuge sacra sinaxi reficere; quis adeo caecus erit, qui in tanto fidelium cujusque loci, conditionis, sexus, aetatis, consensu, et concursu ad Petri sedem et Apostolorum limina visitanda, ac insimul ad Romanam fidem, ut cum Tertulliano loquar cominus contesserandam, *in tam salutari, ac vetusta catholicae Ecclesiae institutione firmissimum christianae pietatis munimentum, orthodoxae Religionis trophaeum, et unitatis catholicae firmamentum, imo novum glutinum veluti atque triumphum adversus inobedientes-* privati spiritus, et indifferentismi assertores *a summo Leone consultissime paratum non videat? quo uno, ut ita dicam, facto pseudophilosophiae simul, et sectarum sophismata, et deliramenta tamquam uno ictu conficeret?*

Cumque Apostolorum sepulchra pari prope cultu ab exordio honestarit antiquitas, generoso etiam Leonis XII animo servasse videtur Divinitas, quod vere caesaream illam Ostiensem divi Pauli Basilicam, nuper ad mortem decumbente Pio, vesano igne consumptam, iisdem prorsus vestigiis priscae Fidelium venerationi, et pietati a solo voluerit restitutam.

Huc accedit providentissimum sane consilium, quo Iudaeorum scandalo perfidiaeque cavendae, eorum septa ampliari malueris, quam regenerationis lavacro tinctis amplius, ulteriusve misceri. Huc quanta severitate improbatae lectionis libros e manibus fidelium amovendos jusseris; huc quae ad diligentius depositum Fidei servandum de edendorum librorum censura, lectione, ac venditione praeceperis; huc quod juventuti salubrius accuratiusque edocendae, integerrimum, atque praecipuum Societatis Jesu institutorum publicum magisterium collegiumque Romanum libentissime reddidisti.

Nec militantis tantum Ecclesiae finibus apostolicum robur continens ligandique supremae tuae potestati clavium, solvendi etiam vim aptissime copulans, frustra incredulis adversus Ecclesiae sanctitatem, et miracula obstrepentibus, felicissimam, ac victricem beatorum virorum quadrigam, ob probatas scilicet eorumdem heroicas virtutes, et prodigia coelo receptam exultanti animo decrevisti.

Tibi igitur vere Leoni de Tribu Juda, *Orthodoxorum dogmatum assertori, morum disciplinaeque vindici, Romanaeque majestatis, Fideique propugnatori*, Severopolitanae Synodi sacrarumque Teanensium

Apulorum originum *codex*, *Fidei nimirum profitendae, ac tuendae, cleri et populi moribus reparandis, disciplinae restituendae, reverentiaeque erga Petri sedem firmandae celebratae, sua veluti sponte se sistit.*

Accedit propemodum ineffabilis benevolentia Tui, qua me vel ab initio Pontificatus humanissime prosecutus, modo ad tuos pedes pro sacrorum liminum visitatione, universalique Jubilaeo lucrando provolutum, nedum mira qua praestas comitate benignissime me excepisti, verum etiam ut opellulam hanc Tuo nomine insignire possem peroptanti mihi indulgentissime adnuisti.

Synodalia haec gesta Tibi dicans, id unum cum Africanis Patribus ad Innocentium I: utrum scilicet meus hic licet exiguus rivulus ab eodem a quo tuus abundans emanet capite fluentorum, hoc a Te probari cupio. Beatitudini interim Tuae, idest cathedrae Petri, *devotissimi etiam mei gregis nomine*, communione consocior: super hanc Petram aedificatam Ecclesiam scio*:* quicumque tecum non colligit, spargit (1). *Quibuscumque a Te scripta sunt, aut rescribantur obedienter attendam, quia* Beatus Petrus, qui in propria sede sua vivit ac praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem (2).

Haec inter Orthodoxae doctrinae obsequiique sincera animi testimonia divino pastorali tuo Principatui parens, Tuisque advolutus vestigiis, *cum eodem Studita concludens, Apostolicae benedictionis munus mihi, ovibusque meis ut impertiaris exoro.*

Dabam Neapoli anno Iubilaei IX kalendas Jan. MDCCCXXVI.

---

(1) S. Hjer. epist. ad Damas.
(2) S. Pet. Chrys. epist. ad Eutich.

1. *Mysticus ille ignis semper in altari fovendus, cremandisque Deo victimis, Moysi divinitus datus* (1), *addito quotidie fomento iugiter arsit; donec, urbis templique ingruente ruina, cum in Persidem ducerentur filii Aaron, qui tunc cultores Dei erant, acceptam de Altari in valle contutati sunt eum. Cum vero praeteriissent anni multi, placuitque Deo mitti ab Artaxerse Nehemiam, hic nepotibus Sacerdotum illorum qui absconderant, ad requirendum ignem missis; cum non invenissent in puteo ignem, sed aquam crassam, haurire sibique afferri praecepit, atque ex ea ligna et Sacrificia conspergi: Utque refulsit sol, qui prius erat in nubilo, accensus est ignis magnus, ita ut omnes mirarentur* (2). *Sacrificio autem ab igne consumpto, ex residua aqua maiores lapides templi ille perfundi iussit, quod ut factum est, et ex parietibus flamma succensa, et ex lumine, quod ab altari refulsit, absorpta est.*

2. *Magnum sane mysterium! praeclarum miraculum! Veruntamen si omnia in figuris contingebant illis; profundioris profecto mysterii, luculentiorisque prodigii praenuntium ignem istum fuisse noverimus.*

Ille enim ignis typus Spiritus Sancti fuit, qui descensurus erat post Domini Ascensionem et remissurus peccata omnium, qui quasi ignis inflammat animum, et mentem fidelem, *prout ratiocinatur Ambrosius* (3).

3. *Re quidem vera quid Christiano nomini auspicatius, solemnius quid! quam tot ante saecula, hoc ipso Dominico die, hacmet hora tertia, cum complerentur scilicet dies Pentecostes, mysticum illum ignem de coelo dilapsum in Apostolos, fidelesque omnes in eodem loco pariter unanimiterve sedentes, dispertitis veluti linguis repente insedisse; cunctosque adeo Sancto replevisse Spiritu, ut variis loquerentur linguis; at Sapientiam vero a saeculo absconditam, omni Nationi, quae sub coelo est, tanta virtute et constantia annuntiarent, ut magno stupore correpti, mirantes ad invicem conclamarent*: nonne ecce omnes Galilaei sunt? . . . . Quid vult hoc esse?

4. Nonne admiramur, *vocibus quaeso vos Chrysostomi alloquar* (4), *Fratres, Filiique carissimi*, nonne admiramur quod olim ignis descendens omnia consumebat? *Nonne obstupescimus, viros Galilaeos, illiteratos inquam et idiotas, extemplo linguarum, virtutumque dono ita claruisse, ut stuperent omnes, ac mirarentur?* Potest tamen fieri, *subdit idem S. Doctor*, ut ignis quoque nunc descendat illo longe admirabilior, et omnia, quae sunt proposita consumat, imo vero non consumat, sed in coelum omnia tollat.

» 5 *Persuasissimum namque vobis esse non dubitamus, nihil frequenti Synodorum celebratione populorum saluti, ac veteri disciplinae constituendae, nihil Catholicorum Principum paci a Deo impetrandae accommodatius esse* (5). *In Synodis enim redintegratur unitas. In Synodis, quae in visitatione non dabatur exequi,*

(1) Levitici VI. v. 12. ec. IX. v. 24.
(2) II. Macch. I. v. 19. ec. seq.
(3) D. Ambros. *Offic.* lib. III. cap. 14. Paris. 1549. pag. 21. E.
(4) D. Io. Chrysost. *in Ep. ad Hebr.* cap. VI. Hom. XI. Opp. T. VI. Lut. Paris. 1633. p. 794.
(5) Alexand. VII. ad Ep. Italiae Const. xx. p. 8.

effectum communibus studiis assequantur. Unde merito salus Ecclesiae, terror hostium, Fidei Catholicae stabilimentum, corporis Ecclesiae nervus Synodus nuncupantur (6).

6. *Quae si ubique ita se habent, principem profecto locum sibi vindicant in hac Dioecesi, in quantum prae Synodorum longa intermissione, cum prae veterum Synodalium Constitutionum neglectu, vepres, tribulos, spinasque plurimum succrevisse condolemus:* Ex quo enim inter Sacerdotes Dei difficiles commeatus, et rari coeperunt esse conventus, *ut apposite adversus Priscillianistas invehitur Magnus Leo* (7), invenit, ob publicam perturbationem, secreta perfidia libertatem, et ad multarum mentium subversionem his malis est incitata, quibus debuit esse correpta.

7. *Temporum certe calamitate, atque angustiis seculum fere dilapsum est, ex quo veram Dioecesanam Synodum urbs nostra Episcopalis ignorat: neque enim Episcopalem Synodum dixeritis Umbratilem coetum illum, quem trigesimo octavo abhinc anno, insanabili aegritudine Neapoli detentus, ad Synodales fere dumtaxat Examinatores seligendos, per procuratorem suum heic cogendum voluit praedecessor noster* Ioseph Pharao. *Nulla siquidem ad illum, quod acta exhibeant, praevia comitia, nullum in ea, quod sciamus, scrutinium, nulla per eam malorum, aut abusuum conquisitio, nulla propemodum ad ea sananda remedia, nulla denique Pastoris praesentia, praesidium, solatium, nedum vox atque paterna Maiestas, omnem exinde proprie dictae Synodi imaginem, abiudicare videntur.*

8. *Anteactarum vero Synodorum scita, hortamenta ac praecepta, quae ad Sacrorum Canonum instar Praedecessorum nostrorum sollicitudo instituerat, iure meritoque igni comparanda, cum per ignem, et in igne lex in Sina data legatur* (8); *qua vetustatis oblivione absoleta, qua temporum pravitate deperdita, qua nequitiae livore subtracta, qua desidiae torpore despecta sub suis veluti cineribus consepulta iacebant.*

9. *Ut autem Sacerdote iubente obdormientium huiusmodi legum fragmenta ac reliquiae sub illa mystica aqua praefiguratae e forulis pluteisque suis, ubi tandiu deliluere, hauriantur, atque in medium proferantur, magno plane adiumento Clero et Populo futura esse pro certo habemus. Ut enim utiliora ex iis capita praesentibus rerum, personarum ac temporum necessitatibus accommodata, collatis insimul in nomine Domini studiis, laboribus ac vigiliis nostris, in unum veluti codicem redacta ob oculos omnium efferantur; magnum sane divinae caritatis incendium super altare Dei excitum ire Deo auctore, supersperamus.*

10. *Ut denique ex hisce veluti reconditarum aquarum guttis lapides maiores Sanctuarii, Cleri, inquam, et Sacerdotum capita, perfundantur, sole refulgente iustitiae, Sancti Spiritus videlicet caritate radiante, fieri procul dubio poterit, immo utique fiet, ut ex lumine quod ab altari refulserit, fidelium pariter mentes coelesti ardore absumantur.*

11. *Si enim quotquot e* Frentonis *Garganique finibus huc convolarunt; si* Thebanensium Civitatis, olim ordine, Patronis (9) Gimnasiis Balineo, Chalci-

---

(6) Synod. Coloniens. ann'. 1549.
(7) S. Leon. Magn. Ep. XV. ad Turibium Asturiae n. 1. Op. T. 1. Lugdun. 1760. p. 227.
(8) Exod. XIX. v. 18. Deuter. IV. 12. 24. v. 4.
(9) V. Nostram Epist. Pastoral. ad Clerum et Populum S. Severi anni 1818.

DICO, PRAEFECTIS, (10) *aliisque municipii muneribus et honoribus aeque ac Romanae Graecaeque magnificentiae et sapientiae ornatibus* SPLENDIDISSIMAE (11): *nunc vero, ut a saeculis Episcopali Cathedra, Orthodoxaque fide longe clariores Posteri, Heredes Filiique, Antistiti Pastorique suo Senatum, Clerum, in sacris huiusmodi comitiis, deposito fidei tuendo, reparandis moribus, ac disciplinae instaurandae adunatum insudantemque perspexerint; quo non stupore atque admiratione preculsi omnes exclament par est*; quid vult hoc esse?

12. *Si fidem tutam, scandala avulsa, disciplinam restitutam Synodi hujus veluti manu compererint, si Ecclesiis decorem, Choro silentium, Altaribus sanctitatem, Reliquiis venerationem, Sacramentis reverentiam, Dei verbo spiritum et virtutem Ministris Christi animarum sitim, sublimioribus Potestatibus obedientiam, subditis obsequii gloriam, debitum cuique redditum*, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, *Deo in primis, et super omnia cultum, adorationem, imperium ecquis non obstupefactus exclamet?* Nonne ecce omnes isti Galilaei sunt? *nostrates inquam sunt, Fratres, Filiiq. nostri sunt, et* quomodo nos audivimus illos magnalia Dei loquentes; *tam mira scilicet et salutaria perpetrantes?* Quid vult hoc esse? quid?

13. *Quid ni FF. FF. CC. quid ni? Hoc certe igne incensus Elias* surrexit quasi ignis, et verbum eius quasi facula ardebat (12). *Hoc Isaias* ignito calculo *tactus in sui AEvi Apostolum est commutatus* (13). *Hoc de* excelso in ossibus immisso *Ieremiam didicimus eruditum* (14). *Quid? quod currus gloriae Christi stipatorum Cherubim* aspectus quasi carbonum ignis ardentium, et quasi *aspectus lampadarum* (15).

14. *Surgamus igitur et nos in spiritu, et virtute Eliae divinique Paracliti sole iam iam radiante ex hoc sacro egressi Coenaculo, Petri Apostolorumq. instar fidelium corda animosque ciamus, memores magistri divini sententiae*: ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur? *Simus populo columna ignis et nubis, quae sive per diem, sive per noctem stabilis praeeat, et per huius saecus desertum in terram promissionis, nequicquam tot hostium adversantibus copiis castra Hebraeorum deducat.*

15. *Eia boni milites Christi securitati, incremento, tranquillitati militantis, Ecclesiae adlaboremus. Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus mundi Rectores tenebrarum harum. Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed spiritualia a Deo; Nemo Christo militans implicet se negotiis saecularibus. Omnis autem immunditia, et fornicatio, et avaritia, quae est idolorum servitus, et scurrilitas, et turpiloquium, nec nominetur in Nobis, sicut decet Sanctos. Absint faces libidinis, et omnis actus noxius. Innocentii III. ad Patres La-*

---

(10) Haec et similia habentur in fragmento marmoris sursum versus detriti, quod illustratum : uci dare aliquando et forte, Deo acutore, in calce huius synodi, in animo est.

(11) Cic. pro Cluen. cap. 69. Adsunt Frentani homines nobilissimi, Marrucini, item pari dignitate, THEANO APULO, atque Luceria Equites Romanos, *honestissimos* homines, laudatores videtis Ap. Strabon. *Geograph.* Amst. 1707. lib. v. Italia pag. 370. T. 1. not. 6.

(12) Eccli. XLVIII. v. 1.

(13) Isai. VI. v. 6 et 7.

(14) Thren. I. v. 13.

(15) Coll. Concil. Lat. IV. Orat. Inn. III. ad Patres.

teranensis IV (16) *Nos sermo deterreat* : „ *Omnis in populo corruptela principaliter procedit a Clero, quippe dum Laici vident Sacerdotes turpiter et enormiter excedentes, et ipsi eorum exemplo ad iniquitatem et scelera prolabuntur...... impletum est illud propheticum*: erit sicut populus sic Sacerdos...... *perit fides, religio deformatur, libertas confunditur, iustitia conculcatur, Haeretici pullulant, insolescunt Schismatici, perfidi saeviunt, praevalent Agareni* „

16. *Declinantes a malo instanter operemur bonum; Vigilemur lectioni et doctrinae attendamus, sacrae immo litterae e manibus nostris nunquam deponantur* (17). *Incessanter oremus*; *in meditatione quippe mea*, ait David, *exardescet ignis. Caritatem, quam orando concepimus ore et opere animarum saluti ac bono promamus. Orationes, postulationes, obsecrationes, gratiarumque actiones in primis fiant pro Piissimo PP. Nostro Pio*, *pro Religiosissimo Rege Nostro* Ferdinando, *pro Principe Iuventutis* Francisco, *totaque Augusta Familia, ut quietam et tranquillam vitam agamus.*

17. *Virtute ex alto ditati, lorica Fidei, galea sanctitatis et scuto veritatis induti, bona spe freti extra castra exeuntes in adversarios fidei incessabili pugna dimicemus. Incautos autem, vel etiam eos qui a veritate auditum avertunt, tenebrasve sectantur, opportune, importune arguamus; obsecremus, increpemus in omni tamen patientia et doctrina, ut sic tandem in mansuetudine spiritus, ad admirabile Christi lumen, ipso illuminante, retrahamus. Trecentos Gedeonis viros sequamur; qui vel in ipsis mediae noctis vigiliis, buccinis clangentes, et lagenas complodentes, sublatis sinistra manu lampadibus, castra Madian evertere. Dextera vero pro Leviticis tubis Nos Sacrum huius Synodi codicem levantes, eiusque scita identidem fidelibus personantes efficiamus, ut quemque nostrum suspicientes conclament* : In dextera eius ignea lex.

18. *Ignea lex in dextera Praefecti Choro silentium, in dextera rectorum Animarum probos mores, in dextera Directorum Sacrarum Virginum gemmeam pudiciam, in dextera poenitentiae ministrorum Zelum animarum, in dextera Praefectuum Magistrorumve iuventutis virgam disciplinae, in dextera Concionatorum populi vitae speculum, in dextera Magistratuum stateram iustitiae, in dextera moderatorum Nosocomii, Orphanotrophii, piarumque sodalitatum philantropiae ut aiunt immo divinae caritatis tesseram, in dextera omnium Catholicae obedientiae, ac pietatis normam iubeat, ostendat, indicet.*

19. *Sic inferorum legiones turbatae diffugient sic mundi tenebrae ignitis linguis concedent, sic vitiis virtutes, desidiae labor, erroribus veritas, Belial Christus undequaque praecellet: sic vel ipsa denique obduratorum corda compuncta ad vos clament necesse est*: quid faciemus viri fratres? *Et vos, ceu Petrus ad illos.* Salvamini a generatione ista prava: poenitentiam agite, et accipietis donum Spiritus Sancti. Sic fiet utique ut illi recipientes sermonem laetabundi conclamare non desinant - Tempus adfuit, refulsit sol, qui prius erat in nubilo, et accensus est ignis magnus: omnesque gratulabundi *uno corde et ore Synodalibus vocibus nostris plaudentes re-*

---

(16) Hyeron.: de vita Cleric. ad Nepot.
(17) Psal. XXXVIII. 4.

sonare non cessent : ,, *Deus Noster ignis consumes est* (18). *Thronus eius flamma* ,, *ignis* : *rotae* eius ignis *accensus*, *fluvius igneus*, *rapidusque egressus est a facie* ,, *eius* ; *Caritas nempe Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum* ,, *quis datus est nobis. Amen.*

IOANNES CAMILLUS ROSSI DEI ET A POSTOLICAE SEDIS GRATIA EPISCOPUS SANCTI SEVERI ET CIVITATEN. SS. DOMINI NOSTRI PII DIVINA PROVIDENTIA PAPAE VII. PRAELATUS DOMESTICUS, ET PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS.

I. Quod felix, faustum, fortunatumque sit primam nostram Dioecesanam Synodum indicimus, eique celebrandae Sacrosanctum Pentecostes Festum assignamus. Ut enim nonnisi post decennale certamen, atque infausti tunc elapsi decennii calamitates feliciter subactas, primam, eamque unicam Marsorum Synodum, Nobis eo tempore illorum Episcopo cogere datum; sic post exactas vicissitudines rerumque discrimina, quae Nostrum Apulorum quinquennale prope regimen tantopere effecerunt, primum Dioecesanum Concilium congregare, Domino cooperante, contingit; quo sane tempore sub Pientissimi PII PP. VII., atque Serenissimi ac Religiosissimi FERDINANDI I. Regis Nostri auspiciis fit, ut summa pace fruamur.

II. Quartum siquidem Sanctae Visitationis curriculum ingressi, iamdudum oves nosse, mores expendisse, mala damnare in vineam Domini illapsa cognovisse, remedia insuper Fidei Sartae tectae servandae, moribus reformandis, disciplinae restaurandae, reverentiae erga supremam Petri cathedram firmandae, obedientiae denique Catholicae partim comperisse licuit, partim vero initis in hac Synodo consiliis, communibusque studiis procuranda plurimum in Domino confidimus.

III. Ecquam vero opportuniorem selegisse dicam, quam auspicatissimam illam, in qua ,, *erant omnes discipuli pariter in eodem loco*; *et factus est repente de coelo sonus tamquam advenientis Spiritus vehementis, replevitque totam domum, ubi erant sedentes*? Praeterquam quod enim ad Apostolorum instar hoc utique tempus sacris colligendis coetibus ab ipsis Ecclesiae cunabulis Episcopis solemne fuit; Spiritum Sanctum eo die e Coelo demissum, Nobis suo nomine specialiter aggregatis adfuturum, ac cordibus nostris suae lucis radios immissurum, ut suppliciter petimus, ita suae gratiae dono, fidenter speramus.

IV. Sacrorum igitur Canonum Sanctorumque Patrum statuta sectantes, ac Tridentini in primis decretis, quo saluberrimi huius instituti quotannis celebratio praecipitur (19) per novissimum Concordatum iterum commendatis *Art. XX.*, morem gerentes, ut Synodales demum Examinatores pro canonica Paraeciarum aliorumque Beneficiorum collatione iamdudum in hac Dioecesi deficientium, eligi queant. Praedecessorum Nostrorum felicis memoriae, et signanter *Germanici Malaspina*, *Franc. An*

---

(18) Haebr. XII. v. 29. et Daniel. VII. v. 9 et 10.
(19) Sess. XXIV. de Ref. cap. 1.

tonii Sacchetti, Leonardi Severoli, Francisci Densa, Horatii Fortunati, Caroli Felicis Matta, Caroli Francisci Giocoli, Adeodati Summantico, Iosephi denique Farao, vestigiis inhaerentes, sequentia statuimus.

1. Die igitur XVIII Mensis Maii currentis anni in hac nostra Cathedrali erit prima huius Synodi Sessio, quae ad duos sequentes dies, si opportunitas id exigat, prorogabitur. Synodi autem ordinem eiusque Ministrorum seriem, alia Notificatione edicemus.

2. Singulis Capituli Canonicis, Archipresbyteris cum suis Cleris receptitiis, Parochis, Curatis, Cappellanis, Beneficiatis, Rectoribus et reliquis de Clero tam Civitatis, quam Dioeceseos, etiam in minoribus ordinibus constitutis aliisque, qui de iure vel consuetudine huic Synodo interesse habebunt, sub poenis *Art. XX.* Concordati praescriptis iniungimus, ut ad illam praecedenti die, quilibet eorum accedat cum decenti tonsura talarique habitu, superpelliceo mundo ac bireto suive tituli insignibus; nec nisi ea absoluta discedat. Nostrum vero Capitulum ad eamdem Synodum permanenter invitamus.

3. Qui se legitime impeditum dicere habeat, sex ante dies coram Nobis, Nostrove Generali Vicario causam proferat doceatque, aliter iisdem poenis subiiciatur.

4. Regularibus etiam huius nostrae Dioecesis in virtute Sanctae obedientiae praecipimus, eosque in Domino hortamur, ut a die publicationis huius edicti ad exitum usque Synodi, qualibet feria quinta non impedita, Missam de Spiritu Sancto in eorum Ecclesiis celebrent; in aliis vero *collectam* Rectores apponant, quam etiam ab omnibus Ecclesiis de Clero seculari in Sacris functionibus et Missae Sacrificiis adiici mandamus.

5. Per tres Dominicos dies hanc Synodum praecedentes animarum Rectores, eamdem populo annuntiantes, Litanias Sanctorum ante Missam Paraecialem cum eodem recitent, ipsumque faciant certiorem, quod visitantibus nostram Cathedralem Ecclesiam, recteque dispositis, specialis Indulti Sanctissimi Domini Nostri PII Divina Providentia PP. VII. datum sub 27 Iunii 1818 Indulgentiam Plenariam in forma Ecclesiae consueta lucrari dabitur. Hortentur insuper fideles, ut precibus a Patre luminum expostulare non desinant, ut salutare hoc Dei opus tam bono inchoatum principio quam maximo animarum fructu ad exitum perducatur.

6. Parochi iique omnes, quibus animarum cura subest, etiam non requisiti, priusquam ad Synodum accedant, Paraeciae aegrotos invisere non praetereant, eosque idoneo Sacerdoti, etiam viciniori, qui eorum vices, durante Synodo, suppleat, commendatos velint.

7. Auctorem Fidei et Consummatorem Iesum, qui in medio congregationis, suo nomine adunatae se ad futurum promisit, Dioecesano huic nostro Conventui in Dei gloriam, animarumque bonum convocato, ope et consiliis suis adesse non dedignetur.

8. Vos denique, quos non servos, sed amicos suos, indulgentissimus Servator Noster appellare dignatus est; Vosque fideles omnes, qui gloria mea estis, precibus etiam eleemosynis, et ieiuniis in praesens augentes, Nos futurumque Dioecesanum Concilium S. Spiritui commendate atque in Domino valete.

9. Praesentes edictales Literae in hac Cathedrali et Ecclesiis omnibus Paraecialibus Dioecesis affigantur, atque ita vim habeant ac si omnibus et singulis personaliter notificatae fuerint. Datum ex Episcopali Nostro Palatio S. Severi idibus Aprilis MDCCCXXIII.

Ioannes Camillus Episcopus S. Severi.

IN NOMINE SANCTISSIMAE ATQUE INDIVIDUAE TRINITATIS, PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI, B. MARIAE SEMPER VIRGINIS IN COELUM ASSUMPTAE, SANCTORUM SEVERI (20) ET SEVERINI (21), PATRONORUM, NECNON LAURENTII (22) ET MAURITII, (23) AC SOCIORUM MARTYRUM ALIORUMQUE SANCTORUM.

---

(20) Civitatem titulo *S. Severi* Episcopi ab immemorabili insignem, ejusdem auspiciis, et patro cinio iuvari, ac indulgentissimumPatronum debito honore venerari aequissimum. Neapoli iu Campania Sanctum, et venerabilem virum, ac Parentem, virtutum, meritorumque summa floruisse laude testes uberrimi Ambrosius, L... Ep. et Symmachus, qui Severum *Episcopum omnium sectarum adtestatione laudabilem* praefatus subdit, *plura de eo edicere*, *et desperatio aequandi meriti*, *et ipsius pudor non sinit.* Diuturnum, ac paternum regiminis Neapolitanae Ecclesiae tempus Joan: Diaconi catologo in haec verba docemur: *Severus Episcopus sedit annos XLVII. Mens*: 11. dies 11. *Hic fecit Basilicas quatuor*, *et diversa Monasteria*, *aliisque multis conficit more suo.* Mazoch: (de SS. Neap: Eccl: Episcopor: cultu Dissert: part: 1: cap: 4: pag: 23. et part. III. cap: VI. Sez: 1, et seq: pag. 38. et seq:) Sub Valentiniano iuniore morum Sanctitate, et Pastorali zelo praefuisse tenet Baronius (Martyr: Rom: 30. April. nota A).

(21) Severinum Abbatem, V Ecclesiae saeculo, apud Noricos Evangelium propagasse, ac proinde *Noricorum Apostolum* dictum mouet Martyrologium Rom. (die 8 Ianuarii). Hunc eius natalem testantur acta brevi stylo ab Eugipio Abbate composita, et auctor est Isidorus (de Script. Ecclesiast. cap. III. Col. Agrip. 1617. pag. 356.). Sacris eius Reliquiis tantus honor habitus, ut non semel eas exquisierit Gregorius Mag. ad Ecclesiam, et Oratorium consecrandum (lib. III. Epist. XIX. Col. 638. lib. IX. Ep. 84 et 85. Col. 84, et sect. lib. XI. Ep. 31. cum not.). Eius nomini, et honori dedicata est antiquissima huius civitatis Paraecialis, ac Particip. Ecclesia, quae iterum consecrata noscitur iam ab an. 1224. 24. Maii, ut ex magno lapide in superliminari ianuae illius Ecclesiae magnis characteribus insculpto, et instrumento mox tradendo dedicationis per Risandum Melphitensem Episcopum, quod in eiusdem Ecclesiae Archivo asservatur. Sancti huius Patroni principalis civitatis reliquiae cum in teterrima hostium invasione anni 1799. disiectae disperditaeque lugerentur, easdem Ecclesiae Clero et populo exoptante, ex insperato acquisivit thecaque argentea reconditas suoque Sigillo authenticaque attestatione munitas ex praecordiis S. Abbatis in Monasterio S. Severini Neapoli servatis, dono dedit Idem Episcopus I. C. Rossi.

(22) Sancti Laurentii Mart. insignis Reliquia in monasterio Monialium sub eiusdem titulo fidelium venerationi exhibetur. De hac in Sancta Visitatione illius Ecclesiae per Episcopum Germanicum Malaspina a die 5 Septembris 1591. haec habentur. In choro Monialium adsunt tres reliquiae--*prima est certa per fidem Episcopi*, *quae est pars digiti S. Laurentii*, cuius acta et laudes concinnere non desinunt Ambrosius, Damasus, Prudentius, Gregorius Mag., aliique innumeri. Ast etiam si (ut optime notat Ruinart. ad monit. in S. Laurent. n. 3. acta sincera, Amstel. 1713. p. 88.) tot SS. Patrum scripta ad nos usque non pervenissent, Laurentii gloriae praecones haberemus lapides ipsos tot Ecclesiarum, quae in primis Ecclesiae pacis temporibus in huius Martyris honore constructae sunt.

(23) SS. Mauritii, et Soc. passiones, virtutes, ac merita, plerisque Patribus descripta (in Epist. Eucherii Lugd. Episcopi Salvio Episcopo apud *acta Ruinart. Selecta* videre est pag. 271. et seg.) A loco Martiyrii *Acaunenses* dicti, vel *Legionis Thebae* celebres (ibid. admonit. n. 3.) ip-

SYNODI PROLOGUS ET PARTITIO

Mons Domus Domini in vertice montium in novissimis diebus iuxta Isaiam (24) praeparatus, ad quem fluant omnes gentes, per Hieronymum de Ecclesia explicatus, suapte natura omnibus conspicuus; neque enim potest Civitas abscondi supra montem posita (25) mage maius visibilis factus est mensura donationis Christi, *Ipse enim dedit quosdam quidem Apostolos.... alios autem Pastores et Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem Fidei et agnitionis Filii Dei* (26).

2. Ecclesia itaque Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit (27); adeo ut *facilius sit solem extingui, quam Ecclesiam deleri* (28). *Radios*, inquam, *porrigit* fidei professione, *nec enim salvi fieri possumus*, ait Aug. (29), *nisi et nos ad salutem proximorum nitentes, etiam ore profiteamur fidem, quam corde gestamus*: *Radios porrigit*. Sacramentorum communione, quibus ad vitam spiritualem nutrimur, roboramur, pascimur et sanamur: *Radios porrigit* Pastorum Doctorumque ministerio; ut non circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia ad circumventionem erroris; utque moribus Christianis rectaque disciplina, eorumdem opere et sermone imbuamur, regamur ac defendamur adversus eos, qui *magistri mendaces introducent sectas perditionis* (30), quorum multi sequuntur luxurias, per quos viam veritatis blasphemari contingit.

3. His propterea detegendis, revincendis atque a simplicium seductione coercendis, merito Synodorum Dioecesanarum a SS. Patribus et Conciliis salutris proposita est institutio. In iis quippe communi studio initisque consiliis agri Domini culturae allaborantes cum suis Sacerdotibus Pastores, errorum vepres, spinas et tribulos, si quae emerserint, inquirere satagunt „ ne aliquod dogma haereticum, erroneum, aut „ scandalosum, seu piarum aurium offensivum, sortilegia, divinationes, incantatio-„ nes, superstitiones et quaevis diabolica figmenta Dioecesim suam inficiant „ Quae Patrum Basileensium ipsa sunt monita (31).

---

sius Sanctae felicisque legionis Coriphaei. *Brachium* in capsa lignea deaurata affabre constructa figurae quadrilateria per nos recognitae die 17 Mens. Aprilis 1823. in Cathedrali magna veneratione die 22. Septembris cum festo, et processione recolitur ex voto populi, prout habetur ex patriis monumentis, et ex sequenti catalogo in Episcopo *Fortunato*. Idem vero dono datum Cathedrali ab Emo *Francisco Varalli* tunc apud Elvetios prope locum Martyrii Nuntii Apostolici munere fungente, praeter ms. huius Civitatis, et Ecclesiae testatur Catalogus Reliquiarum Capituli Cathedralis.

(24) Isai. II. 2. et Mich. IV. 1.
(25) Matth. V. 14.
(26) Ephes. IV. II.
(27) S. Cyprian. *de unitate Ecclesiae*.
(28) S. Io. Chrysost. Homil. IV. in cap. VI. Isai
(29) Lib. de Fide, et Symbolo cap. I.
(30) II. Petri II. 1.
(31) Sess. XV, an. 1433. Lab. I. XXIX. ed. Mans. Ven. 1788. p. 75. a.

4. Nec his contenta Synodus omnem intendit aciem, ut in Dei *Mysteriorum* dispensatione cuncta prorsus diligentia adhibeatur, atque omnis exinde amoveatur irreverentia, atque utilia pro Ministrorum instructione, atque exercitio praecepta, et media statuantur.

5. Cum denique, Pastorali animadversione indigeant, quae in dies emergunt, scandala, his etiam reparandis, excessibus corrigendis, moribusque inter sæculi vicissitudines, atque illecebras quotidie declinantibus, disciplinæ zelo, opportunisque remediis, salubriter curandis Synodus instare, atque occurrere non reformidans, Sacrorum canonum vim, et potestatem pro re nata, Ecclesiæ bono, animarumque saluti in viridem observantiam revocare, ac renovare studebit.

6. Quæ cum ita sint, plana, et aperta penitus hinc triceps hujus Synodi partitio prono alveo fluit. Prima quidem pars orthodoxæ *Fidei professionem*, ejusque consectaria complectatur par est; eaque omnia, quæ Catholicæ, atque Romanæ Fidei adversantur, ad Ecclesiæ definitionum instar prorsus rejiciat, atque castiget. Secunda *Sacramentorum* numerum, ordinem, ac majestatem respiciens, quidquid rectæ illorum administrationi, aut distributioni adversum invenerit, reformare sataget. Tertia denique *disciplinae Diœcesanæ* instaurandæ, ac Ministris Synodalibus instituendis addicetur. Fidei tamen regulas, Patrum præcepta, Canonum, et Diœcesanarum Synodorum, Provincialiumque statutorum sanctiones ac monita ubique suspiciat oportet: *Qui enim sacros canones custodiunt, Domini Dei adjutorio digni sunt; qui autem eos transgrediuntur, ipsi semetipsos judicio tradunt obnoxios*. (32).

---

(32) Iustinian. Novel. 137. ed: Gothof. ap. Baron. T. IX, an. 541. n. 14. p. 619. Lucae 1741.

PARS I.

CAPUT I.

DE FIDEI PROFESSIONE

7. Corde *creditur ad justitiam*, ait Apostolus; *ore autem confessio fit ad salutem* (33). *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma* (34). Quam ergo veram, orthodoxamque Fidem corde credimus, in ædificationem Corporis Christi ore quoque profiteamur necesse est. Neminem vero quis decipiat *per Philosophiam, et inanem fallaciam* (35); ac si rationabile non esset obsequium Fidei, quod singulorum prius *examini*, et judicio non fuerit subactum: Non desunt enim, qui hac techna divinitus institutæ *auctoritatis* norma spreta, in interminabiles disputationes, incautos parvulosque immergere non verentur (36). Id igitur in antecessum cum Tertulliano statuendum: *Nobis curiositate opus non esse post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium*; *cum Fides in regula posita sit* (37). Præterquamquod enim, prout abunde alibi probavimus (38), *discussionis*, atque *examinis via*, nec mysteria, quæ captum hominis superant, neque fidelium incertum plerumque, atque indoctum vulgus decet; ea nil ferme aliud sapit, quam spiritum privatum, tantopere a Novatoribus expetitum, velle in judicem controversiarum Religionis erigere. Id proinde dum in Pyrronismum vergit, ipsi Ecclesiæ constitutioni divinæ, ac publicæ tranquillitati ex diametro adversatur; fideliumque universitatem compendiosa, atque omnibus obvia auctoritatis scilicet regula privat, de qua apprime idem S. Doctor: *Auctoritati credere magnum compendium, et nullus labor*.

8. Re enim vera Spiritus Sanctus Episcopos posuit regere Ecclesiam Dei: hos dedit Pastores, et Doctores in unitatem Fidei. His ligandi, atque solvendi potestatem tradidit: hos depositi custodes fecit, hisce profanas vocum novitates dedit vitandas, *quas recipere atque sectari*, subdit Lyrinensis, *numquam Catholicorum, semper vero Hæreticorum fuit* (39). Episcopis Apostolorum successoribus dixit, *qui vos audit, me audit*, quorum caput Petrum constituens, *pasce*, inquit, *agnos meos, pasce oves meas, ego rogavi pro Te, ut non deficiat Fides tua*: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ* Inferi *non prævalebunt adversus eam*. Episcoporum

(33) Rom. X. 10.
(34) Ephes. IV. 5.
(35) Coloss. II. 8.
(36) Consulatur hac de re nostra Epist. Past. de Jub. edit. Neap. an. 1824. §. II. pag. II. et seq.
(37) Tertull. de Praescriptionibus Cap. 8 ad 14 Romae 1795 pag. 31 et seq.
(38) Dottrina di G. C. difesa, dedicata alla Santità di Pio VI. Napoli 1794. P. I. Dissertaz. III. cap. II. §. III. n. 196. e seg.
(39) Commonit. n. XXXIIII. Edit. Baluzii Venet. 1728. pag. 355.

denique vocibus indociles ab Ecclesiæ suæ gremio penitus ejectos voluit, dicens: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, et Publicanus.*

9. Quam vero inter tot Pseudo-Philosophorum deliramenta, ac Novatorum ambages, sectarumque figmenta Fidei tesseram teneamus ad prolata Christi verba veneranda docet antiquitas: Fides, inquam, Romana, quæ, teste Paulo, *prædicatur in universo mundo.* Hanc Valentinianis, Marcionitis, aliisque innumeris sui temporis blateronibus objicit Tertullianus; *Videamus*, ait, *quid (Roma) didicerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit* (40). *Ad hanc pariter Ecclesiam propter potentiorem principalitatem*; jam dixerat vir Apostolicus Iranæus (41) *necesse est omnem convenire Ecclesiam, in qua semper servata est ea, quæ ab Apostolis est, Traditio.*

10. *Romanæ* itaque *Fidei professionem* ad Tridentini præsertim decreta a Pio PP. IV. feliciter redactam, et ab universali Ecclesia acceptam, more majorum uno ore omnes solemniter præstitimus; et ab infra notandis suo loco, et tempore sub pœnis in Concordato (42) contentis, universa plaudente Synodo, emitti mandamus.

11. In manibus igitur Nostris, vel Nostri Vicarii Generalis eam elicere tenebuntur.

1. Qui Synodo non interfuere, prout debebant, in termino duorum mensium ab ejusdem publicatione.

2. Omnes Dignitates, Titulares; Canonici Nostræ Cathedralis.

3. Beneficiati tam Curati, quam sine Cura.

4. Noster Vicarius Generalis cum Vicariis Foraneis, et Nostræ Curiæ Episcopalis Ministris.

5. Novi Concionatores, etsi Regulares (43).

6. Confessarii sanctimonialium pro tempore.

7. Docentes publice, vel privatim in Civitate, vel Diœcesi Sacram Theologiam, Philosophiam, utrumque Jus, aliasque inferiores disciplinas.

12. Synodi non esse fatentes novas circa Fidem quæstiones definire, errores jam proscriptos fictisque coloribus non semel in medium sive clam, sive propalam prolatos ab his, quorum superbia ascendit semper, eadem professione damnamus. Illorum etiam temeritatem rejicimus; qui in ipsam Fidei professionem præcipiti arrogantia insurgentes, eo præsumptionis deveuire ausi sunt, ut non omnia in eadem ad credendum proposita, ad Catholicam fidem pertinere blaterent » (44) Nam si se-
» mel admissa fuerit hæc impiæ fraudis licentia, ait Lyrinensis (45), horreo dice-
» re, quantum excindendae atque abolendæ Religionis periculum consequatur. Abdi-
» cata etenim qualibet parte Catholici dogmatis, alia quoque, atque item alia, ac
» deinceps alia, jam et alia quasi ex more, et licito abdicabuntur. Porro autem *sin-*
» *gillatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur, nisi ut totum*
» *pariter repudietur?*

---

(40) De Praescr. Cap. XXXVI. ib. pag. 191.
(41) Adv. Haeres. lib. III. Cap. III. Ved. la Dottrina di G. C. cit. n. 108 e seg.
(42) Art. XX.
(43) Conc. Prov. XIII. an. 1656 Tit. I. num. 5. Synod. Provinc. Benevent. Rom. MDCCXXIV. p. 402.
(44) Consule Dis. III. part. II. La Dott. di G.C. part. I. Diss. III. C. III. §.II. n. 198 e seg.
(45) Commonit. Cap. XXIII. pag. 353.

13. Clandestina pariter conceptacula eorum, quorum sermo, ut cancer serpit, sub quocumque demum nomine, aut titulo delitescant; civilibus (46) et Canonicis sanctionibus inhaerentes, diris devovemus, et dudum a Nobis proscripta, cum Marsos regeremus (47), tamquam apud probos viros male audientes, societatis securitati, fidei puritati, morumque sanctitati adversas (48), iterum rejicimus, atque damnamus: » Ab nullo enim genere, aeque summum periculum est ajebat e re » P. Cato consul (49); si cœtus, et Concilia, et secretas consultationes esse sinas: nec unum revera genus noxæ ex eadem officina exisse testantur e gentilibus Livius; e nostris autem de gnosticorum Epiphanius (50); de Manichaeorum vero occultis coetibus S. Leo (50).

14. Nuperrimam denique SS. Domini N. Pii PP. VII. Constitutionem *Dogmaticam* (51), quæ incipit *Ecclesiam*, sub datum Romæ Idibus Settembris 1821. ex Apostolica Petri Cathedra summa profecto prævia conquisitione, et maturitate latam, adversus Societatem *Carbonariorum*, ejusque fautores et asseclas sub quovis demum nomine delitescant; nec non in libros, codices, et statuta eorum, sive typis ea edita sint, sive manuscripta, sub poena excommunicatiouis ipso facto incurrendæ sibi, et successoribus, dempto articulo mortis, reservata; cum obligatione pariter omnes, quos noverint huic sectæ adscriptos, ejusve criminibus inquinatos denunciandi, libros Locorum Ordinariis, aliisve ad quos de jure spectet tradendi. Petrum namque per Pium locutum fatentes, alacri animo eamdem Bullam omnes amplectimur, ejusque omnia, et singula definita, et præscripta ab omni clero, et populo hujus Dioecesis, a Parochis præsertim, Concionatoribus et Confessariis adamussim servari mandamus.

15. Ut autem præ oculis haberi, ac diligentius per capita servari queat, in calce Synodi adjiciendam censemus. Huic namque supremo Romanæ Ecclesiæ judicio apprime quadrare videtur, quod de altero in causa Pelagii post paucos menses Carthagine concionabatur Augustinus: *Redarguite contradicentes, et resistentes ad Nos perducite, jam de hac causa duo concilia* (particularia) *missa sunt ad Sedem Apostolicam; inde etiam Rescripta venerunt, causa finita est, utinam aliquando finiatur error* (52).

16. Quo facilius tamen declinantes a via veritatis ad rectam semitam revocari queant, ubi aliquem ex Poenitentibus hac contagione infectum Animarum Curatoribus se præsentari contigerit, ne ejusdem conversioni, ac saluti nectantur induciæ, Nos adire non differant; ut pro modo Apostolicarum facultatum, quibus muniti sumus, statim indigentibus ope et consilio adesse valeamus.

---

(46) Digest. Tit. *de Colleg. illicit.* Decr. Real. 8. Agosto 1816, 28 Marzo 1821, e 7 Maggio 1821.

(47) Synod. Mars. 1815 Part. I. Cap. I. num. 10 e seg. Nap. MDCCCXVII.

(48) Anton. *Carmen. Adversus Gentes*, vers. 112 e seq. cum notis Vet. PP. Bibl. T. III. ed. Galland. Venet. 1767 pag. 657 et seq.

(49) Lib. 39. ap. Gothofred. in Cod. Theodos. Lib. IX. Tit. XVI. Leg. 2. T. III. pag. 115. et seq. Lugdun. 1665. quem adesis.

(50) Serm. XV. *de jejunio decimi Mensis*, Cap. V. edit. Quesn. Tom. 1. pag. 64.

(51) Consc nostr. opell. Oraz. ne' Fun. di Pio VII. pag. 31. n. 10. Nap. 1823.

(52) Serm. 132, alias 2. de verbis Apost. Vedi la Dott. di G. C. difesa num. 32, e seg.

17. Experientia compertum est graviora Religioni, moribus, et publicæ tranquillitati vulnera per libros improbatæ lectionis infligi; perniciosa enim huiusmodi opera inter inexpertas juvenum manus labentia, in ruinam honestatis, Ecclesiæ etiam, ac Reipublicæ versa, vel ipsæ politiores nationes deplorant (53). Hinc Sacrorum Canonum, ac civilium sanctionum (54) decretis inhærentes, quoscumque obscœnos, impios, atque Christianæ obedientiæ infestos, uno verbo ab Ecclesia damnatos libros, legere, retinere, alienare, donare, aliisve legendos tradere sub pœnis etiam canonicis prohibemus.

18. Et si, quod Deus avertat, superveniens inimicus homo superseminare audeat zizaniam, ne lateuter occidant, plus enim plerumque periculi est in insidiatore occulto, quam in hoste manifesto (55), ideo sub iisdem pœnis omnibus præcipimus, ut quidquid noverint errori fovendo irrepsisse, vel quod Deus avertat irrepere, Nobis legitime per mensem deferre studeant, ut opportunis remediis, principiis obstare possimus, ne sero medicina paretur, cum mala per longas convaluere moras. Interim ad omnem animarum periculum averruncandum identidem Parochi et Confessarii præ oculis habeant tum regulas Indicis in calce Tridentini appositas, tum catalogum, cui titulus: *Index librorum prohibitornm SS. D. N. PP. Pii VII*, etiam Regalibus jussis commendatum (56).

CAPUT II.

DE VERBI DEI PRAEDICATIONE

19. *Unigenitus*, *qui est in sinu Patris*, quæ ab illo didicit, ipse *enarravit*; et Apostolos Fidei suæ præcones instituens: *ite*, ait, *docete omnes gentes servare quaecumque mandavi vobis*: *prædicate Evangelium omni creaturæ*; illi autem profecti *prædicaverunt ubique Domino cooperante*. » Ita opitulante coelesti virtute, salutaris Dei sermo, ajebat Eusebius, (57) tamquam solis radiis universum terrarum orbem subito illustravit ... Per omnes civitates, et vicos Ecclesiæ infinita hominum multitudine abundantes, velut areae quædam frugibus refertæ, brevi congregatæ sunt. Et qui propagato a majoribus errore, superstitioso Dæmonum cultu quasi vetusto quodam morbo constricti tenebantur, hi Christi virtute per *prædicationem simul et miracula discipulorum ipsius*, tamquam a sævissimis dominis liberati, et gravissimis vinculis soluti, Deorum quidem turbam a dæmonibus invectam respuebant, unum autem Deum esse omnium rerum Opificem confitebantur ».

(53) Trid. sess. 4. Dec. de edit. et usu librorum. Bingh. Orig. Eccl. lib. XVI. Cap. XI. par. 2. vol. 7. pag. 448.
(54) Decr. Real del 7 Maggio, e 2 Giugno 1821
(55) Serm. XLVI. de quadr. IX. Cap. I. Tit. I. cit. ed. p. 113.
(56) Cit. 2. Decr. 1821 num. 6.
(57) Hist. Eccl. Lib. I. cap. 3. Tit. I. p. 48. Cantabrig. 1720.

20. Prodigiosam hujusmodi morum conversionem prædicationi debitam prae oculis habentes, omnem ad eam competenter, et fructuose explendam Nostram, Nostrique Cleri sollicitudinem excitandam putamus. *Quomodo enim credent ei, quem non audierunt, quomodo autem audient, sine prædicante?* (58) Studeant tamen verbi Dei præcones: 1. ut vita doctrinæ respondeat, ne plus exemplo destruant, quam verbo ædificent (59), illasque incurrant sententias: *dicunt, et non faciunt*: *qui alium doces, te ipsum non doces* (60). 2. Ne zelo ducantur amaro; *nam qui charitate destituitur, prædicationis officium*, Gregorio monente (61), *suscipere nullatenus debet*: 3. *Maledictis, scommatis, convicio omnino abstineant* (62) 4. Prædicent pure, sincere, clare, absque ulla ambiguitate, et disputatione Dei verbum, juxta Ecclesiæ traditionem, et SS. Patrum interpretationem 5. Nihil asseverent de iis, quorum Ecclesiæ definitio non extitit. 6. Nominatim quemquam non accusent, crimina vero acriter redarguant; ita ut criminum, non personarum se odio id facere existimentur. In dignitate, et Magistratu constitutos fraterne admoneant, ostendantque illis, et potestatibus omnibus esse obtemperandum, etiam discolis. Formam habeant sanorum verborum a veritate Ecclesiæ nihil omnino discrepantium (63) 9. *Ne lucra sæculi in militia quærant Christi* 10. Nemo denique sine debita missione tantum ministerium assumere audeat: quocirca sine Nostra in scriptis licentia nullus illud annuntiare præsumat. Quod si e Regularibus sit, nonnisi prævia Superiorum suorum adprobatione Nostrum obtinebit assensum; prout et in Synodo prædecessoris Nostri Fortunati præscriptum habetur.

CAPUT III.

DE RUDIUM, ATQUE ADOLESCENTUM CHRISTIANA INSTITUTIONE, ET CATHAECHESI.

21. Quoniam vero non omnes æquanimiter verbum Dei capiunt, et Apostolus Sapientiam locutus inter perfectos, lac non escam Corinthiis propinasse fatetur, *nondum enim, ait*, (64) *poteratis*; idcirco ad omnium ædificationem auditorum intelligentiam pro ætatum, gustorum, ingeniorumque diversitate sermonem accommodent. *Veterem Ecclesiæ morem* Augustino probatum (65) sequantur, quae *pueriliter pueros, fortiter juvenes; quiete senes*, prout cujusque non corporis tantum sed et animi aetas est, exercere et docere consuevit. Qualiter vero doctor ædificans ex una doctrina,

(58) Rom. X. 14.
(59) Conc. Prov. X. Tit. 7. Cap. I. de præd. Verbi Dei 282 et Conc. Prov. XIII. Tit. XI. num. 3 et seq. pag. 414.
(60) Rom. II. 21.
(61) Homil. 17. in Evangelia.
(62) Con. Prov. X. Tit. VII. cap. III. p. 283.
(63) Conc. Prov. X. Tit. VII. Cap. III.
(64) I. Corinth. cap. III. v. 2.
(65) Lib. I. de *Moribus Ecclesiae* cap. XXX. Ved. Syn. Matsic. n. 15.

non una eademque exhortatione tangere corda auditorum debeat, abunde suppeditabit ex Nanziazæno in suo Pastorali Magnus Gregorius. Ab ipsis sane Ecclesiae cunabulis non unam praedicandi formam invectam cognoscimus: Apostolicis siquidem Ecclesiis. Alexandrinæ signanter a Marco Evangelista institutæ, Cathechistas ab initio, ac Magistros, Pantænum, Clementem, Origenem traditos novimus; quos tanto Fidei profectu ibi sacrosanctæ Religionis mysteria explicuisse indicat Hieronymus.

22. Propterea præcipimus I. Ut in omnibus Dominicis, et sollemnioribus festis in singulis Paræciis tam Civitatis, quam Dioeceseos, quod alioquin laudabiliter in more est, ad commoditatem populi Cathechisticæ instructiones super Dei, Ecclesiæque præceptis, aliisque præcipuis Religionis mysteriis ad instar Cathechismi Romani captui fidelium accommodatæ jugiter habeantur. II. Ut ad cavendos errorum anfractus, ad Propheticae, et Apostolicæ interpetrationis lineam, secundum *Universalis Ecclesiae traditionem* (66), et Catholici sensus normam, in Cathechismo Romano traditam, Cathechistæ se dirigant; gravitatem, ac modestiam sectantes, ac vel minima æquivoca verba, quæ castas sæpe aures offendere solent, devitantes; memores illius Apostoli: *Scurrilitas, et turpiloquium nec nominetur in vobis* (67)

23. III. Ut ignorantium malitiæ occurrant, qui vel ipsum Cathechismum effugiunt, vel ruri degentes prima fidei rudimenta negligunt, singulis diebus festis, saltem in prima Missa Paræciali post Evangelium, et ubi commode fieri poterit etiam in ultima; et, si Missa ob causam aliquam nimis protrahatur, saltem in functionibus Vespertinis, clara voce, et materno idiomate sub pœnis canonicis sequentia paulatim a celebrante divina officia populo universo respondente recitentur. 1. Signum Crucis. 2. Mysteria SS. Trinitatis, et Incarnationis Domini. 3. Symbolum Apostolorum. 4. Pater, et Ave 5. Decalogi, Ecclesiæque præcepta. 6. Septem Sacramenta, et 7. Actus Christiani. Hæc autem recitatio nullo pacto omittatur in missa ab iis præsertim, qui diebus festis, in Capellis, et Ecclesiis ruralibus celebrent, prout statuitur in Nostris edictis, ac Santæ Visitationis decretis, et in secunda Synodo Summantici ad præscripta Concilii Romani sub Benedicti XIII. anno præcedenti celebrati, ad quod pium opus prestandum etiam Regulares hortamur in Domino, et precamur (68).

24. IV. Singulis etiam Dominicis e prandio nedum campanæ solito signo, verum etiam cruce præeunte, animarum Rectores, eorumve *Coadjutores* cum clericis Paræcias circumeant (*quod antiquitus in more positum hujusmet Diœcesis monumenta perhibent*, (69)), pueros colligant, atque ad Paraeciam deducant, ibique seorsum puellulas a pueris edoceant. V. Ut una simul, et sana doctrina ab omnibus habeatur, quo facilius pueri etiam de una ad alteram Paroeciam, ut quotannis accidit, migrantes, rudimenta fidei, queis semel imbuti fuerunt, retineant: methodus Bellarmini, sive ejus brevis *doctrina Christiana* a pluribus Pontificibus com-

(66) Lirin. ibid. Cap. 27 et seq. Trid. cit. Decr. *de ed. et usu* Libr.
(67) Ephes. V. 4.
(68) Syn. Summ. A. 1726. Cap. IV. de Parochis
(69) Decret. Episcopi *Mollo* anni 1749 pro Ecclesiis Receptitiis Civitatis.

mendata, a nostris Provincialibus synodis inculcata, nostrisque decretis (70) proposita, ab omnibus nostrae civitatis, et dioeceseos Parochis, Coadjutoribus, et magistris penitus doceatur.

25. Cum ex Apostolico Brevi *Impensa* (71), et Realibus Encyclicis, et Instructionibus Ecclesiae Receptitiae habituali curae obnoxiae habeantur; Ecclesiae namque reditus, cujuscumque demum naturae sint, semper ad opus Ministerii praebitae censentur, hinc etiam Participantibus id commune praecipimus, ut scilicet tamquam Parochi Coadjutores, illum in animarum cura, et Christiana praesertim doctrina pueris instillanda debitores se ex justitia ob ipsum, quo fruuntur ecclesiae pane reputantes, eidem coadjuvando semet solicitos praebeant. Certiores quod ad normam earumdem Encyclicarum non immemores diligentiorum erimus in distributione majorum, vel minorum titulorum, ad instar earumdem Regalium Instructionum (72), sicut nec segniorum desidiam dimittemus impunem.

26. Postremo cum juventutis eruditio, atque institutio tam in spiritu Religionis, quam in morum honestate, et Christiana obedientia fundamentum veluti sit publicæ tranquillitatis, et florentissimæ Civitatis; *Congregationem Spiritus* pro studentibus cujuscumque classis, Regalibus etiam Rescriptis, in hac Civitate, et Dioecesi salubriter institutam, atque ab Optimo Principe summopere commendatam, praesenti Synodali decreto cum suis Regulis a Nobis, etiam in vim Regalium Ordinum, editis, hactenusque servatis, confirmamus, atque inviolabiliter præcipimus observari.

27. Quapropter I. Præfectus, Capellani, Confessarii, aliique idonei Sacerdotes huic Dei operi a nobis præpositi eidem laudabiliter insudantes, pari zelo, ac pietate illud prosequantur; recogitantes in corde suo, quia labia justi erudiunt plurimos (73) certique quod *qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habebuntur.* (74) II. Magistri, quibus hoc officium juxta idem Regis præceptum, sine Nostra adprobatione exercere vetitum, nedum domi discipulos Christianam Doctrinam edoceant, verum etiam illos ad Congregationem ducere, eisdemque in Sacramentorum frequentia præire suum ducant. III. Adolescentes summum profectum ex hac Congregatione experti, in dies diligentiores eidem adeundae, ejusque pietatis exercitiis obeundis frequentiores se præbeant; sin minus gradibus Academicis consequendis se impares futuros sciant IV. Patres-familias, quorum interest liberos dociles, ac bene moratos habere, solertiores se exhibeant in ducendis, mittendisve eis ad eamdem Congregationem; memores illius: *Erudi filium tuum, et refrigerabit te, et dabit delicias animæ tuæ.* (75).

28. Omnes denique puerorum consanguineos, affines, Patrinos, Tutores, Institutores, Magistratus denique cunctos instanter in Domino hortamur, ut tanto operi adjutricem manum porrigant. Hi enim aliquando *ornamentum pacis*, *subsidium bel-*

---

(70) Decret. S. Visit, an. 1819.

(71) Datum Romae XIII. Aug. 1819.

(72) Ordo, seu *Piano* Participationum nostrarum Ecclesiarum jam Regali approbatione munitae sub die 24. Julii 1824 V. in Calce hujus.

(73) Prov. X. 21.

(74) I. *Timoth.* V. 17.

(75) Prov. XXIX. 17.

lorum erunt ex his Ecclesiæ aditus, ex his Forus, *ex his castra*, *ex his tribus replebuntur*, qui *jam ab infantia parentem publicum*, ut cum Plinio de altero nostro Trajano, immo novo Constantino loquamur, *munere educationis experiuntur* (76). Quod enim munus Reipublicæ, ut Tullii monitu concludamus (77) » afferre majus, meliusve » possumus, quam si docemus, atque erudimus juventutem? his præsertim moribus, » atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnibus opibus refrænanda, ac » coercenda sit?

CAPUT IIII.

DE PRAECIPUO FIDEI MYSTERIO, SCILICET DE SACRIFICIO MISSAE.

29. Ex Prophetarum Vaticiniis, ex Sacerdotio Christi secundum Ordinem Melchisedech, ex prævia figura Agni Paschalis, ex institutione Eucharistiæ a Christo facta, ex Tridentini definitione, et doctrina, ex conditionibus demum ad verum Sacrificium requisitis, quæ omnes in Missa concurrunt, verum, ac proprie dictum Sacrificium illam esse, fuse, atque erudite pro more suo adversus Novatores ostendit Bellarminus (78). Neque enim aliud, ut cetera sileam, panis et vini Melchisedech Sacerdotis Dei Altissimi (79) incruenta demonstrat oblatio; vel insigne illud Malachiæ oraculum de rejiciendis, abrogandisque Judæorum Sacrificiis, novoque, ac mundo ubique gentium nomini Dei immolando (80).

30. Cum igitur non in mera Sacrificii Crucis commemoratione vel repræsentatione, ut blaterant Novatores, sed in oblatione incruenta, et mystica Christi realiter præsentis sub speciebus panis, et vini principaliter consistat Missæ Sacrificium; sitque illud vere propitiatorium, nedum Latreuticum, atque Eucharisticum: Hinc quo Angelico animi candore ad illud accedendum sit, nemo est, qui non videat; *Una enim, eademque*, ait Tridentinum, *est Hostia*; *idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit*, *sola offerendi ratione diversa* (81).

31. Si cuique communicari volenti in memoriam revocandum præceptum, *probet seipsum homo*, quanto magis Sacerdotibus ad sacrificandum accinctis, alta id mente repositum sit oportet? Quod si vel laicis mortalis culpæ consciis, quantumvis sibi videantur contriti, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere vetitum; quanto magis id Sacerdotibus nefas, qui quotidie ut plurimum celebrant? Quod si, necessitate urgente, subdit Tridentinum (82), Sacerdos absque prævia confessione celebraverit; *quamprimum confiteatur*. Quo non consilium,

---

(76) Panegyr. cap. 26. 27.
(77) M. T. Cicer. *De Divinat.* Lib. II. §. II. Amst. 1704 p. 1155.
(78) Bellar. Lib. I. *de Missae Sac.* VI, et seq. ex quo Tournely de *Sacr. Euch.* quaest VIII, art. 1. Concl. Praelect. Tom. VIII. *Venet.* 1755 p. 324 et seqq.
(79) Gen. XIV. 18 Ps. 109 v. 4 Hebr. passim.
(80) Malach. Cap. I. v. II.
(81) Trid. Sess. XXII. cap. II.
(82) Trid. Sess. XIII. de Euch. Cap. VII,

Sed verum præceptum contineri declaravit Alexander VII., proscribendo propositiones contrarias *num.* 38 *et* 39.

32. Quotidie autem sumenti sic vivendum, ut quotidie sumere mereatur. Hinc frequentia Sacramentalis confessionis, saltem semel per hebdomadam, Sacerdotibus in Synodis commendatam, injunctamque inculcare non desistimus (83).

33. Celebrationi preces pro commoditate Sacerdotis in Rubricis descriptas præmittere non prætereant; Sacrisque peractis pro summi beneficii munere debitas Deo gratias agant. Missæ totius prius ordinem perlegant (84). Non cursim, nec festinanter Agnum Paschalem comedant. Clare (*secretis exceptis*) et distincte, magnaque animi devotione verba præsertim Canonis recitent: *In quolibet enim Officio negligentia est peccatum, ajebat Innocentius III.* Patribus Concilii Later. IV. (85), *sed in Sacrificio est periculum, quoniam qui manducat indigne, judicium sibi manducat, non dijudicans corpus Domini.*

34. Nullus ad Missæ Sacrificium post susceptum Presbyteratus ordinem admittatur, ni prius bene instructus in sacris cœremoniis comperiatur, ac Magistri cœremoniarum jurata fide exhibita, facultatem a Nobis, vel a Nostro Vicario Generali in scriptis Sit consecutus (86).

35. Nemo ad Ecclesiam, maxime ad celebrandum, accedat, nisi in veste talari nigri coloris, non sordida, nec lacera aut inquinata; sed munda; nec cum ocreis, vulgo *stivali*, sub pœna suspensionis incurrendæ, quod etiam fuit a Nobis jam ab initio Nostri Episcopatus edictum (87). Paramentis, vasis, aut quavis supellectili in Sancta Visitatione interdictis, vel suspensis; nemo utatur; omnia immo munda mundis, corporalia praesertim, et purificatoria, pro quarum munditie diligentiam, et conscientiam Praefecti, Rectorumque Ecclesiarum graviter oneramus.

36. Nullus Sacerdos extraneus, vagus, vel ignotus sub poena suspensionis admittatur a Rectoribus Ecclesiarum, etiam Regularium (88) ad Missae celebrationem in Civitate sine licentia Nostra, vel Nostri Vicarii Generalis; in Dioecesi Nostri Vicarii Foranei, postquam tamen his exhibuerit sui Ordinarii commendatitias, seu discessoriales litteras, aut alias ipsis notus sit, non tamen ultra triduum; quo elapso omnino indigeat Nostra permissione sub eadem poena (89). Nemini vero, sine Nostra speciali licentia in scriptis, in Ecclesia Monialium celebrare permittatur sub poena suspensionis. (90)

37. Ubi pro populi commoditate contigerit Parochum summo manc Evangelii explicationem habere, nemo ante ipsius Missam celebrare audeat; ubi vero Parochis in Missa Conventuali, vel etiam e prandio concionari detur, tunc qui primam Missam celebraverit, yel Evangelium explicare, vel Fidei rudimenta ad normam superius descriptam cum populo debeat recitare.

---

(83) Syn. Mars. n. 47 Edic. Card. Ursini Arch. Benev. pro S. Visit. *An bis in Ebdomada?* ec.

(84) Rubric. General. Missal. *Rit. Serv. in celebr. Missae* §. 1.

(85) Caj. Soll. Apollin. Sidon. Arven. Episc. *Epistol.* Lib. VII. Epist. I. Vet. pp. Bibl. Venet. 1774 T. X. p. 519.

(86) Syn. Matta XVII. pag. 20, et Summ. C. VI.

(87) Edic. sub die 10 Dec. 1818.

(88) Syn. Fort. et Matta. de *Missar. Celebr.* Cap. XVII. p. 20.

(89) Edic. ut supra.

(90) Syn. Fort. de Sacrif. Missae, et Matta *de Eccl. et Monast. Monial.* Cap. XIX.

38. In qualibet Ecclesia prostet Tabella Missarum celebrandarum ratione beneficii, vel Anniversarii a Nostris Prædecessoribus, vel a Nobis, Nostro Vicario Generali Subscripta, quæ ubi desit intra bimestre conficiatur, ejusque exemplar ad Nostram Episcopalem Curiam servandum transmittatur. Adsit etiam Specialis liber, in quo per dies, et menses et annos statim a celebratione onerum juxta fundatorum benefactorumque dispositiones satisfactio adnotetur cum designatione numeri, qualitatis Missarum, altaris, diei; et personarum, pro quibus sunt adplicandæ (91).

39. Renovantes decretum Synodi Fortunati inhibemus omnibus Sacerdotibus, ne in diebus, in quibus onere celebrandi Missas gravantur, eleemosynas pro celebratione earum eodem die accipiant: generatim vero magnum missarum numerum, præsertim qui ratione beneficii sunt gravati ad Ecclesiasticarum Constitutionum instar nequaquam accipiant; nec onerum sibi ex titulo, vel beneficio injunctorum celebrationem diutius protrahant. Fundatorum vero in omnibus menti loci, altaris, temporis, ac personarum circumstantiis satisfiat.

40. Fideles vehementer in Domino hortamur, ut modestis vestibus, decenti corporis habitu, flexis (*quoad possunt*) genibus Missæ Sacrificio intersint; nec se unquam altaribus innitantur, nec pileos illis imponant, et multo magis confabulationibus, risu, strepitu, aliisque actibus indecoris prorsus abstineant; quo probentur mente, ac devoto cordis affectu, non solo corpore divinis adesse: immo optandum cum Tridentinis Patribus superest ut non solum mystice, verum etiam realiter de tanto Sacrificio participarent (92).

41. Mulieres præcipue ad formam Nostri Edicti (93), super eadem modestia in Ecclesiis servanda, in Domino peramanter hortamur, ut velato capite, non pileolo, sed palliolo propter Angelos ad altare Dei, atque Sacramenta suscipienda se conferant: nisi indignæ haberi velint quibus de sacra Mensa tribuatur.

42. Tempore, quo concio habetur, vel proxime habenda est, nullus Sacerdos Missam inchoare præsumat (94).

43. Episcopo solemniter celebranti in Cathedrali interesse teneantur omnes, et singuli, Dignitates, Canonici, et Beneficiati ipsius Cathedralis, Archipresbyteri, Presbyteri, et Clerici tam *in Sacris*, quam *in minoribus Ordinibus* constituti omnium Ecclesiarum Parœciarum Civitatis. Cum de more laudabili in habitu talari, et veste sacra cuique propria assistant; hinc 1. ab initio Sacræ functioni se præsentes exhibeant, nec nisi ea expleta discedant. 2. Inter Missarum solemnia, aut Concionem, aut Vesperas, omnes in Choro suo quisque loco, pie, et in silentio maneant, nec in Sacristia, vel per Ecclesiam, aut ante illius fores versentur. Quando vero Episcopus in Cathedrali assistit, omnes, et Singuli Dignitates, Canonici, et Beneficiati, nec non *Mansionarii* ipsius Cathedralis, prout in Synodo Prædecessoris Felicis de Matta legimus constitutum (95), adsint. Reliqua quoad hoc etiam in anteactis Synodis statuta, quæ his non adversantur, in suo robore permaneant.

---

(91) Summant. Cap. VI. pag. 28.
(92) Trid. Sess. XXII. cap. VI. de *Sacrif. Missae*.
(93) Edic. 13 Martii 1822.
(94) Summant. Cap. VI. pag. 29.
(95) Syn. Matta Cap. XVII. p. 18.

CAPUT V.

DE FIDEI SIGNIS, ET MONUMENTIS, UBI DE FESTORUM PRAECEPTO, ET PROCESSIONIBUS.

44. Memento, *ut diem Sabbati sanctifices*, ait Dominus, (96), *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra*, clamant contra impii (97). Nihil mirum: Festa enim cum devotam, gratamque memoriam, renovent mirabilium Dei Creatoris, aut Servatoris, ejusque servorum, atque amicorum; quemadmodum summopere ad fidei splendorem, ac præsidium valide influunt, dum in rudioris præsertim populi animis Religionis facta, et miracula facilius tenaciusque imprimunt; ita hostium fidei ilia contorqueant, necesse est; dum talibus signis perenni traditioni firmatis, veritatem Mysteriorum Dei firmitus constitutam agnoscunt.

45. Horum perfidiae cavendæ, Parochi diligenter curent, fidelibus singulis Dominicis festos dies per hebdomadam occurrentes annuntiare; patres-familias, dominosque vehementer in Domino hortantes, ut filios, et mercenarios suos ad Missam audiendam compellant, quod speciali Ecclsiæ præcepto fidelibus cunctis, qui ad usum rationis pervenerint, est demandatum.

46. Doceant præterea populum ut præcipue festo durante a media, scilicet nocte diei præcedentis ad mediam noctem subsequentis, caveant ab ebrietatibus, choreis, tripudiis, larvis, saltationibus, et cantilenis, quæ vulgo *serenate* vocantur; quinimmo æstivo tempore ab effraena illa, et promiscua conversatione, in qua noctes ducunt insomnes: experientia quippe compertum est, verba sunt Prædecessoris Nostri Summantici (98) sine piorum scandalo, ac plerumque contentionibus, rixis, et Dei offensa, hæc, et similia nequaquam fieri.

47. Hortentur etiam, ut ab omni servili opere prorsus abstineant. Urgente autem necessitate, tempore messis, et vindemiarum fruges, et uvas asportare; et simile aliquid operari non negabitur, a Nobis in Civitate, et in Dioecesi, ubi periculum sit in mora, a Parochis, quos delegamus, petita et obtenta licentia, quæ quidem gratis concedatur (99).

48. Ut pietatis officiis, sacris conventibus, Cathechismis, Concionibus, supplicationibus, eleemosynis, et præsertim Sacramentis suscipiendis omnes navent operam; illud commemoramus, ruinam *in omnes gentes* a Domino comminatam, *quæ non ascenderint ad celebrandam festivitatem in templum sanctum suum* (100).

49. Ne vero otiosi veluti, ac sine dignis poenitentiæ fructibus, divinique cultus exercitiis dies præsertim festos sanctificationi deditos transigant, majorum exempla sectentur, quorum ne dum Justinus (101), Tertullianus (102), Minucius, (103), aliique; verum etiam ipsi gentiles mira pietatis opera his diebus exercita admira-

---

(96) Exod. XX. v. 8.
(97) Ps. 73 v. 8.
(98) Cap. XIV. de Festorum, et jejunii observ. p. 51.
(99) Summ. Cap. XIV. de Festorum, et Jejunii observant. p. 51.
(100) Zac. XIV, 18.
(101) Just. M. Apol. I. pro Christ. n. 67 Bibl. PP. ed. Gallan. Venet. 1765.
(102) Tertull. Apol. Cap. XI.
(103) Min. Fel. in *Octavium* Cap. VIII. Bibl. PP. T. II. p. 385.

bundi collaudant. Satis sit C. Plinii Secundi (104), tunc Bithyniae Pro-Praetoris ad Trajanum insigne testimonium: *Soliti sunt stato die* (solis, vel dominico (105)), *ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo: dicere secum invicem, seque Sacramento, non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis, morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen, et innoxium.*

50. Quoad festos vero dies nuperrima Pii VII. dispensatione reductas (106), qui propterea utroque praecepto carent, populum doceant eam fuisse Pontificis mentem, ut temporum, in quibus versamur, inopiam aliquo pacto sublevaret, et indigentiae illorum succurreret, qui in sudore vultus sui comedunt panem: non ut Sanctorum venerationi, ac salutari fidelium poenitentiae ullatenus officeretur.

51. Hac certe humanitatis ratione, petente Serenissimo Rege Nostro, motus SS. Pontifex praeter anni Dominicas, haec dumtaxat festa servanda praescripsit: nimirum dies *Circumcisionis, et Epiphaniae Domini, Purificationis, atque Annuntiationis Beatissimae Virginis Mariae, Patriarchae S. Joseph, Ascensionis Domini, Solemnitatis Corporis Christi, S. Joannis Baptistae, SS. Apostolorum Petri, et Pauli*, quibus in suppressarum festivitatum memoriam omnium Apostolorum, et *Martyrum Commemorationem* specialem adnexam voluit: *Assumptionis, et Nativitatis Deiparae, omnium Sanctorum, Conceptionis Mariae, et Nativitatis Domini; Sancti* denique cujusque Communis *Patroni*: cujus dies festus in hac Civitate celebratur Dominica post trigesimam diem mensis Aprilis.

52. Vigiliis vero, legeque jejunii, quae festa praecedere consueverunt, eadem Apostolica Constitutione abrogatis, idem Pontifex, praeter Sacratissimam Quadragesimam, et dies quatuor temporum, sequentes tantum Vigilias retinendas esse statuit; *Pentecostes* scilicet, *S. Joannis Baptistae, SS. Apostolorum Petri, et Pauli, Assumptionis B. M. Virginis, omnium Sanctorum, et Nativitatis D. N. J. C.*; nec non singulas *ferias sextas, et Sabbatha* hebdomadarum *Adventus*.

53. His quoad populum constitutis, ad Clerum quod attinet, jussit eadem Constitutione SS. Pater retinendum Officium, et Missas Sanctorum ac Solemnitates tam diebus festis abrogatis, quam in eorumdem vigiliis eodem prorsus modo, ac prius in qualibet ecclesia moris erat.

54. Haec summi Pastoris intentionem, ac jussa capessentes, Parochi populum doceant his tantum teneri festis, ac vigiliis servandis, quas modo numeravimus. Clerus vero, quoad abrogata solemnitatum praecepta, ea omnia adamussim implere prosequatur, quae hactenus sunt servata eodem prorsus ritu: quo fit profecto, ut liberum sit fidelibus, ditioribus praesertim, aut quotquot hiemali tempore laborare nequeunt, ex devotione ac pietate, qua praestant, Sacris Ecclesiae collectis, ac functionibus hisce diebus interesse; cum satius sit divinis vacare, quam aut in plateis otiari, aut in ludis, commessationibus, et ebrietatibus, non sine suae conscientiae, familiarumque detrimento, diem patrimoniumque consumere.

55. Festorum observantiae accedunt supplicationes publicae, quae vulgo audiunt *Lytaniae processiones* (107); ex quo, longo veluti ordine, celebrantur. Usus

---

(104) C. Plin. Caec. secund. *Epistol.* lib. X. Epist. 97 n. 7 Amst. 1734 p. 819.
(105) S. Justin. mox citato loco.
(106) Constit. 10 Aprilis 1818.
(107) Vid. Baron. Not. *in Martyrol. Rom.* die 25 Aprilis.

earum ut antiquissimus, ita est Sanctissimis mysteriis refertus; ideoque omni pietatis studio exercendus: Hinc praecipimus ut nihil in processionibus sit praeproperum, nihilque praeposterum, aut indecorum (108). Horum quaedam festos Domini dies praecedunt, et divinae implorandae clementiae sunt institutae; quales sunt Rogationes, Ascensionem Domini praeeuntes. Has quippe antiquitus fieri solitas, sed prope vagas, tepentes, infrequentesque, utque sic dixerim, *oscitabundas supplicationes*, maxime, *aut imbrem*, *aut serenitatem deprecaturas*, Mamertus Episcopus Viennensis *Reverendissimo exemplo*, ait Sidonius Episcopus Arvernensis, *utilissimoque experimento invenit*, *instituit*, *invexit*; forma scilicet usitata sanctiorem, augustioremque praescribens, in quibus subdit; *jejunatur*, *oratur*, *psallitur*, *fletur*.

56. Tales porro sint rogationes, ac supplicationes omnes, sive ordinariae eae sint, sive ob publicas calamitates indictae, ita ut non infrequentes, neque oscitabundae, sed totius Cleri saecularis, et Regularis, et Confraternitatum alacriter concurrentium interventu, absque risu, deordinatione, atque immodestia; sed in cordibus suis psallentes, eo citius *ad eas veniant*, *quo non ad epulas*, *sed ad lacrymas evocantur*. Sic etiam in Nostris quoque necessitatibus plane fiat, quod de Viennensibus Rogationibus testatur idem Sidonius (109). *Qua devotione placatus inspector pectorum Deus*, *fecit esse obsecrationem vestram vobis saluti*, *caeteris imitatione*, *utrisque praesidio* (110).

57. Idem prorsus dicendum de processionibus in honorem B. M. V., et Sanctorum Patronorum, quorum innumera beneficia experti, prout eorum majestatem, et sanctitatem decet in publicis hujusmodi, debitique cultus testificationibus, omnem gravitatem, et pietatem ostendere par est. Eorum igitur simulacra, et statuas, quas humeris deferri laudabilis Ecclesiae consuetudo commendat, nonnisi ad formam Rit. Rom. prius benedictae deferantur per Confratres suis saccis, et mozetis indutos; ut eisdem debitus honor tribuatur.

58. Ne vero laudabilium consuetudinum, in venerationem particularium Patronorum tendentium memoria depereat, aut ritus ullo pacto invertatur, decretum Synodalem Summantici repetitum heic volumus, scilicet » praeter processiones gene» rales ab universali Ecclesia indictas, solitas, et consuetas, declaramus in hac Ci» vitate processiones in die octava Corporis Christi, in die festo S. Mauritii, » cujus brachium in Nostra Cathedrali asservatur (111); S. Severi Civitatis Patroni, et SS. Rosarii, ad quas juxta Concilium Tridentinum, et Constitutionem S. Pii V.; nec non per sententiam a Nobis *(subdit idem Praedecessor)* in contradictorio judicio emanatam sub die XVIII. Mensis Martii 1726 (112), tam Clerus saecularis, quam Regularis, privilegiatis exceptis, vocati a magistro caeremoniarum accedere tenentur sub poena amissionis distributionis ad rationem, prout sequitur. Procurator scilicet Capituli in singulis processionibus, Missis, et Pontificalibus, sive Ordinariis de jure, et consuetudine, sive indictis, de massa communi summam ducatorum quatuor singulis hisce in functionibus distribuet inter praesentes dumtaxat, qui interfuerint ab initio usque ad exitum, servato in

---

(108) Conc. Prov. XII. Tit. L. *de Process.* p. 359.
(109) Epist. Lib. V. Ep. XIV. Vet. PP. Bib. T. X. cit, edit. 1774 pag. 519.
(110) Sinod. lib. VII. Epist I. ibidem p. 519.
(111) Quod per Nos diligenter recognitum in nostra S. Visitatione decenter haberi compertum et in sua veneratione relictum.
(112) Syn. Summant. II. Cap. X de Process.

omnibus Missae Martialis contributo, in festo scilicet Nativitatis Domini. Idem pariter exequentur Procuratores Cleri SS. Severini, et Nicolai pro medietate dictae summae, pro Clero autem S. Joannis, cum plures Presbyteri ibi numerentur, ad summam ducatorum trium.

59. Satis vero non sumus commendandae devotioni, atque modestiae servandae in processione Corporis D. N. J. C. Summa igitur reverentia, detecto Capite, hymnos, psalmosque alternatim canentes in Rituali praescriptos, omnes ordinatim incedant: nullo pacto unitatem processionis scindentes, vel turbantes. Cum Fidei Catholicae praesentiae realis J. C. D. N. in Eucharistia nedum profitendae, verum etiam publicae testificandae, adversus haereticorum, atque incredulorum deliramenta ritus hic ab Ecclesia fit receptus, nisi maxima qua fieri poterit animi demissione, ac pietate celebretur, derisioni potius, ac contemptui Religionis vertetur quod ipsius incremento, ac commendationi salubriter est institutum.

60. Ab hac igitur removeri volumus quaecumque venerationi inspirandae officiant. Ac 1. praecipimus, ut nemo prorsus in processionibus quemvis alloquatur, aut salutat intus, vel extra Ecclesiam: 2. ut omnes clerici alternatim psalmos concinant, Canonici cum Canonicis, Presbyteri cum Presbyteris et Cantus sit per alas, ita ut dextera unum, sinistra vero alterum, veluti Chorum efficiat: 3. ut ab his amoveatur quidquid earum ordini ac gravitati officiat, ceu e. g. puerorum interventus sub figura, licet Angelorum: 3. ut si fieri contingat altare aliquod in via ad benedictionem impertiendam, nonnisi Nostra expressa licentia, et modo per nos statuendo in posterum fiat: 5. ut omnes qui supra omnino interveniunt ab initio usque ad finem precum, et ultimam benedictionem maneant; neque alicui ante discedere liceat: 6. ut in ea servetur Ordo Hierarchicus in Coeremoniali Episcoporum, et in Appendice Concilii Provincialis Beneventani II. statutus et a Praedecessore Summantico confirmatus (113): 7. ut in processionibus nullo pacto laici, quicumque illi sint, inter Clericos ut Praefecti processionum a Nobis deligendi (114) incedant, seorsim tamen viri a foeminis, super quo invigilent Parochi, vel Sacerdos probus; sed eorum locus post Clerum pro cujuscumque dignitate erit (115). 8. Ad tollendas denique quascumque dissidii causas, et vitanda scandala in vim Provincialis Concilii XII (116), ut baculi Umbellae per Clericos nostri imprimis Seminarii deferantur, providemus.

61. Processio in Dominica Palmarum non excedat januam Ecclesiae, ubi Clerus in plures circulos distributus stabit usque dum Ecclesiam ingrediatur servata in his omnibus forma Edicti Synodalis pro celebratione omnium processionum in Beneventana Provincia ad calcem appositi Concilii Provincialis anni 1698 ex Ursinianis II. ex Provincialibus autem Ordine XV (117) Poterit hinc tamen, si tempus sinat, ulterius pro more procedere.

---

(113) Cit. Syn. Summant. II. Cap. X.
(114) Conc. Prov. XII. Tit. L. *de Process.* p. 360.
(115) Id. Concil. ib.
(116) Conc. Prov. XII. Tit. LI. cap. II. pag. 360.
(117) Edic. Syn. Ap. ad Conc. Prov. XV.

CAPUT VI.

DE FIDEI OPERIBUS, UBI DE JEJUNIO.

62. Vitam, aut *ignem aeternum* in extremo judicio dandum legimus opera fidei exercentibus, necne (118); Fides enim sine operibus mortua est, sicut corpus sine spiritu mortuum est. Oratione autem, et jejunio, vel deterrimum Doemoniorum genus ejici divinis eloquiis edocemur. Remedium hoc igitur salubriter, et divinitus institutum ad vitia gliscentia coercenda, mentemque ad futuram gloriam elevandam, statis etiam temporibus (119), ab Ecclesia injunctum ac summopere ex Tridentino, ac Provincialibus Synodis (120) Episcoporum vigilantiae commendatum, ut a fidelibus religiose serventur, graviter praecipimus et inculcamus.

63. 1. Ne ignorantiae vero prætextus inferantur ab excusantibus excusationes in peccatis, Parochi jejunia generaliter ab Ecclesia praescripta Paroccianis suis a Dominica antecedenti indicent, sero autem praecedenti, solito aeris campani signo, populo annuntiare prosequantur. Quod maximopere curandum in sacra Quadragesima a die Cinerum, qui in Concilio Beneventano anni 1091 sub Urbano II. apposite *Caput jejunii* appellatur; ut ab hoc die fideles ad veram Confessionem, veramque poenitentiam festinanter accedant (121).

64. 2. Fideles praeterea admoneant jejunium a media nocte diei praecedentis ad mediam noctem sequentis perdurare; ideoque hoc temporis intervallo abstinentiae tum esus carnium, tum unicae comestionis, ut S. Canonibus satisfiat, omnino vacandum.

65. 3. In jejuniis seu Quadragesimae, seu Vigiliarum adhuc vigentium, et Adventus nuper praescriptis nulli omnino carnibus vesci liceat. Si autem peculiare, vel generali pro aliqua civitate concedetur indultum edendi carnes, nequaquam licere Mensam eadem carne, et piscibus instruere, neque in vespertina refectiuncula carnibus vesci; sed eo cibo, eaque quantitate utendum norint, quam adhibent jejunantes rectae, et meticulosae conscientiae (122).

66. 4. Omnibus jejunandum ea, qua decet pietate, *nec fructuose enim corpori esca subtrahitur*, ait S. Leo, (123) *nisi mens ab iniquitate revocetur, et obtrectationibus lingua cohibeatur.*

67. 5. Corporali abstinentiae orationes, eleemosynae, Sacramentorum frequentia, diguique poenitentiae fructus adjiciantur, ut omnibus prodesse possint suscepta jejunia, et divinae accepta esse clementiae.

68. 6. Demptis, quos inevitabilis necessitas, vel virium imbecillitas causa senectutis vel aetatis defectu, eximat a lege jejunii, quicumque aliqua legitima cau-

---

(118) Matth. XXVI. v. 41.
(119) Vid. supr. n. 52 et Conc. Prov. X. Tit. IX. de Jejuniis Cap. I.
(120) Conc. Prov. VI. Tit. 17 cap. V. et VI. p. 240 Id. X. Sess. III. Tit. 9. p. 295. etc.
(121) Conc. III. sub Urbano II. in not. lit. D. Synodic. p. 8 Conc. Prov. VI. Tit. 17 cap. 8. p. 239
(122) Ben. XIV Const. *Libentiss.* p. 233 Bullar. Tom. I. et sup. n. 52.
(123) S. Leon. Sermo 41. de Quadr. IIII. Cap. II. Ed. II. Lugd. 1700 T. I. p. 105.

sa impediti fuerint, a Nobis, obtento prius in scriptis medicorum testimonio (*quorum conscientiam oneramus*), dispensationis licentiam consequantur (124).

69. Ad scandala vitanda, ubi generalis carnis dispensatio obtenta non fuerit, non nisi privatim a lanionibus cibi vetiti, ad Synodalia Praedecessorum (125) praescripta, vendantur: Tempore autem Quadragesimae taceboant comoediae, tripudia, aliaque quae ad morum licentiam perducunt, animarumque saluti adversantur (126).

70. Fideles denique omnes in Domino vehementer hortamur, ut tempore concionis Quadragesimalis, etiam in diebus ferialibus, officinas clausas habeant, et fori strepitus conquiescere patiantur, ut omnes verba Dei, sicut filios decet, libere audire queant.

71. Advenientibus Quatuor Temporum jejuniis, Animarum Rectores ea fidelibus annuntiando docere non praetereant hac mente ab Ecclesia fuisse instituta, ut idoneos ministros in Domino sortiantur: quapropter rogare Dominum messis non omittant, ut mittat operarios in messem suam.

CAPUT VII.

DE FIDEI TESTIBUS, UBI DE SANCTORUM VENERATIONE, ET RELIQUIIS.

72. Hostibus Fidei nil tam profecto bilem in nasum concit, quam Beatorum cum Christo in Coelis gaudentium honor, et veneratio Ecclesiae militantis. Ex quo Celsi, Porphiriique Sectator Vigilantius, imo Dormitantius, odium et maledicta in catholicos revomens apud Hieronymum (127) sic blaterabat. » Prope ritum gen- » tilium videmus sub praetextu Religionis introductum in Ecclesiis, sole adhuc ful- » gente, moles cereorum accendi, et ubicumque pulvisculum nescio quod, in mo- » dico vasculo pretioso linteamine circumdatum osculantes adorant »: quotquot Manichaeorum labe inquinati in Ecclesiam ad nostra usque tempora insurrexerunt, hujusmodi errores projecta impietate, atque audacia renovare non sunt veriti, licet novo fuco exornatos.

73. Polemicis nostris veterum, recentiorumque Agiomachorum plenam confutationem relinquentes (128); Beatissimorum Martyrum SSrumque Reliquias honore quidem afficiendas et costanter ab Ecclesia Catholica veneratas, post Graecae Latinaeque Ecclesiae traditionem a Summis Theologis collectam, et a Tridentino propositam credimus, et confitemur; sic nempe Hieronymus in illorum coriphaeum invehitur. » *Quis enim o insanum caput, aliquando Martyres adoravit? quis* » *hominem putavit Deum* (129)? *Honoramus autem reliquias Martyrum, ut eum,*

(124) Syn. Fortunato.
(125) Syn. Matt. Cap. XXXVII. *de Jejun. Quadr.* et Summant. Cap. XIV.
(126) Syn. Summ. *de Jejun.* C. XIV.
(127) S. Hier. *Adv. Vig.* Oper. Tom. IV. cit. ed. p. 282.
(128) Nat. Alex. Saec. V. Diss. XXV. Qu. I. Paris 1699 T. V. p. 334, et seq.
(129) S. Hier. ibid.

„ *cujus sunt Martyres, adoremus. Honoramus servos, ut honor servorum redundet ad Dominum, qui ait*: qui vos suscipit me suscipit (130). „

74. Sanctorum porro intercessionibus confidimus, tamquam maxime utilibus atque ab Ecclesia, Verbo Dei suffragante, approbatis » Si *enim* Apostoli et Martyres, *subdit Hieronymus*, (131), adhuc in corpore constituti » possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti: quanto » magis post coronas, victorias, et triumphos ? »

75. Hæc, et similia fidelibus explicantes Parochi, ne simplicium corda, vel in errorem ducantur, vel falsam pietatem pro vera præseferant; Ecclesiæ ritus in honorem Sanctorum ab omni Idolatriæ macula immunem illos edoceant. Cultus enim erga illos impensus latriæ non est qui soli Deo debetur, sed honorarius, utque ajunt, Iperduliæ, quo-ad Beatissimam Virginem, Duliæ quoad Sanctos Angelos, reliquosque Beatos.

76. Reliquiarum pariter, quæ tamen ab Ecclesia receptæ sunt, cultum, et venerationem cum Generalibus Conciliis, Constantinopolitano præsertim, et Tridentino, licitam; illarum vero contemptum, irreverentiamque omnem erga illas impiam, ac damnandam, immo damnatam esse, semperque fuisse in Ecclesia docebunt.

77. Ne superstitioni, aut falsæ credulitati ansa præbeatur; quod tantopere Lateranense IV. (132) Tridentinum (133), et Nostra Provincialia Concilia (134) vitandum inculcant; utque commentitiæ a veris distinguantur (135), mandamus 1.° ut nullo pacto in hac civitate, et diœcesi novæ riliquiæ invehantur, evulgentur, aut venerandæ populo annuntientur, vel exponantur, *nisi prius auctoritate Rom. Pontif. fuerint adprobatæ* ex Lateranensi, atq. ex Tridentino *recognoscente, et approbante Episcopo.* (136)

78. 2.° Ut nemini liceat de reliquiis adprobatis sumere, donare, extrahere, aut donatas recipere, quovis prætextu, aut etiam alteri Ecclesiæ concedere sine Ordinarii licentia.

79. 3.° Ut Rectoribus Ecclesiarum liceat tantum eas exponere, quæ vel ab immemorabili in singulis Ecclesiis fidelium venerationi proponi consueverunt, nec Sanctæ Visitationis decretis unquam amotæ fuerint; vel quæ in Ecclesiarum tabellis, inventariis, Synodis, aut Sanctorum Visitationum actis nominatim adnotatæ reperiuntur; debitisve authenticis adtestationibus a Nobis recognitis, aut probandis non careant.

80. 4.° Ad hunc effectum, ubi desint hujusmodi *inventaria*, seu *tabellae* Sacrosanctarum Reliquiarum, intra trimestre fieri volumus per Nos subsignandas.

81. 5.° Ad ægrotos licet devotissime petentes, ut ut id antiquæ consuetudinis esse dicatur, sine Episcopi facultate, minime exportentur. (137)

82. 6.° A laicis nunquam tractentur, vel tangantur, quod sacrilegum Magno Gregorio visum; neque eas nudas deosculari liceat.

---

(130) Idem Epist. 37, *ad Ripar.* al. 63. c. ed. pag. 278.
(131) Ibid. *adv. Vig.* pag. 283.
(132) Cap. 11 Extra *de Reliq.*
(133) Sess. XXV. *De invocatione..... et reliquiis Sanctorum.*
(134) Conc. Prov. XIII. Tit. XIV. n. 1. p. 416, et Syn. Matia Cap. xxx.
(135) Innoc. III. in Conc. Later. Cap II. extra de reliq. et invoc. SS. et Trid. ibidem.
(136) Conc. Prov. XIII. ibidem
(137) Syn. Prov. XII. A. 1599 Tit. VI. Cap. 1 p. 336.

83. 7.° Cum populo eas ostendi contingerit, idque in Sanctorum festis, aut in majoribus Solemnitatibus, accensis luminibus nec e suis thecis extractæ, a Sacerdote superpelliceo, stolaque induto exhibeantur: tunc vero pulsentur campanæ, antiphonæ cum orationibus a Clero cantentur, thus adhibeatur (138): scientes omnem transgressionem hac in re sub gravissimis censuris a Provincialibus Conciliis esse prohibitam (139).

84. Quoad sacras autem imagines in Ecclesiis non collocentur, prius quam stata prece non benedicantur (140) quæ vero vel vetustate consumptæ, vel hominum injuria deturpatæ; nec aptari honeste queant, vel decretis Sanctæ Visitationis interdictæ sunt, penitus deleri, aut comburi, et cineres in sacrarium deponi præcipimus. Pariter nulla pingatur; aut sculpatur imago, quæ veritati Sacræ Scripturæ, Ecclesiastico ritui, et Catholicæ Traditioni adversetur; multo minus quæ obscoeni, aut profani, aut riduculi, aut superstitiosi aliquid habeat (141) vel sapiat.

85. Miraculum denique nullum, quod non sit ab Ecclesia probatum Parochus exprimat aut populo prædicare præsumat (142).

CAPUT VIII.

DE FIDEI EMOLUMENTIS, UBI DE SUFFRAGIIS, ET INDULGENTIIS.

86. Judas Machabæus, *facta collatione duodecim millia dracmas argenti misit Hierosolymam offerri pro peccatis Mortuorum Sacrificium, bene, et religiose de Resurrectione cogitans. Sancta ergo, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur* (143). Justos ergo e vita egressos adhuc precibus, suffragiis, ac piis operibus juvari extra omnem dubitationis aleam est.

87. Quod constanti, ac perpetua pariter Ecclesiæ Traditione, et praxi, quæ pro mortuis Deo supplicationes, et sacrificia semper obtulit, manifeste demonstratur (144). *Orationibus Sanctæ Ecclesiæ*, ait Augustinus, (145) *et sacrificio salutari, et eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum „ mortuos adjuvari ut cum eis misericordius agatur a Domino, quam eorum „ peccata meruerunt. Hoc enim a Patribus traditum Universa observat Ecclesia. „ Neque de quibusdam veraciter diceretur,* Subdit (146) *quod non eis remittatur, „ neque in hoc seculo, neque in futuro* (147), *nisi essent quibus etsi non in „ isto, tamen remittetur in futuro.* „

---

(138) Conc. Prov. XII. Tit. VI. cap. 1. p. 336.
(139) Conc. Prov. X. Tit. IX. cap. 11. pag. 284. Conc. Prov. X. Tit. VIII. cap. 11. p. 609.
(140) Conc. Prov. XIV. an. 1693. Tit. XXXVIII. Cap. III. pag. 546.
(141) Conc. Prov. XI an. 1571 c. V. p. 325, et Matta Cap. XXX p. 40.
(142) Conc. Prov. XII. Tit. V. c. 1 p. 336.
(143) II. Machab. XII. 43 et 46.
(144) S. Ambros. *Orat. funebr. pro Satyro Fratre.*
(145) Serm. 172. alias 32 de *Verbis Apostoli* n. 2.
(146) Lib. XXI de *Civ. Dei* cap. 24.
(147) Math. XII. 32.
(148) Ses. XXV. *Decretum de Purgatorio.*

88. Ut autem Catholicum Dogma est a Tridentino definitum (148) precibus, sacrificiis, atque indulgentiis animas fidelium in Purgatorio detentas juvari; ita summopere cavendum, ne incerta, vel falsi specie decipientia scriptis, vel picturis evulgentur; vel quæ turpe lucrum sapiant, vel fidelibus offendiculo sint. Curent igitur Parochi, ut sacrificia, et suffragia, aliaque pia opera, quæ a viventibus pro defunctis fieri consueverunt (149) ad Ecclesiæ ritus, et præcepta digne et devote fiant. Quæ vero ex legatis piis illis debentur suo loco, tempore, et numero diligenter, et accurate persolvantur (150). Secus si de locis Piis Ecclesiasticis agatur, Ordinario jure omnis negligentia coercebitur; si autem de Laicalibus sermo sit, opportunis remediis providebitur ad Tridentini jussa (151), Concordati, et Regalium Ordinum. (152)

89. Ad indulgentias vero quod attinet, quarum conferendarum potestatem a Christo Domino Ecclesiæ concessam, usumque maxime salutarem populo Christiano Tridentinum docuit (153) retinendas esse cum Sacrosancto Concilio statuimus juxta probatam consuetudinem. Omnem autem abusum, et pravos præsertim quæstus in earum publicatione eliminandos volumus; quapropter si qui sint, qui Indulgentias motu proprio de facto concedant, super votis dispensent, aut similia prædicent, et aliquid habeant pro liberandis de Purgatorio animabus, cum Concilio Provinciali VI (154) dicimus non esse admittendos, nisi prius nobis ostendant litteras suas, si quas gerant, et inspiciantur, quid contineant; ne apocriphis indulgentiis publicandis adversus Tridentini mentem locus detur.

90. Nemini liceat, quacumque exemptione non obstante, Indulgentias publicare, earumque virtutes exponere, nisi postquam legitime per Nos fuerint recognitæ, et facultas impertita. Sic enim omnis turpis quaestus suspicione amota, coelestis hujus thesauri bona ad pietatem converti omnes vere intelligant.

CAPUT VIIII.

DE FIDEI OSORIBUS, UBI DE BLASPHEMIIS, DE MALEFICIS, ET PERJURIS.

91. *Fides in regula posita est*, ait Tertullianus *De Præscript.* cap. 14... *adversus regulam nihil scire, omnia scire est.* In hanc sacratissimam regulam peccatur, seu per excessum, seu per defectum, et illi quidem sacrilegi, hi superstitiosiores putandi. Sacrilegis accensentur blasphemi, qui si indigna de Deo dictis vel Magisteriis proferant, hæreticales blasphemiæ istæ appellantur: si autem Dei opera, vel amicos ejus verbis, factisque pessumdare audeant, nomina simplicis blasphemiæ in fronte scripta præseferent.

---

(148) Ses. XXV. *Decretum de Purgatorio.*
(149) Consulatur hac de re nostra *Epistola Pastoralis super Jubilaeo* a SS. D. N. Papa *Leone XII.* indicto sub die 3. Maii 1824. Legeris §. *Essendo per altro necessario*, pag. 61. Neapoli 1824.
(150) Trident. ibid.
(151) Ses. XXII cap. VIII. et IX. de Reformatione.
(152) Regia Circ. de' 21 Agos. 1797 art. IX.
(153) Ses. XXI. *Decretum de Reformatione* Cap. IX.
(154) An. 1374 Tit. VI cap. IV pag. 84.

92. Parochorum itaque quotidiana solicitudo erit gravitatem blasphemiæ per species suas exponere, et pœnas insimul tam canonicis (155), quam civilibus (156) constitutionibus adversus blasphemos latas; nec non casum, ob frequentiam hujus criminis in Nostris Diœcesanis Synodis reservatum (157), monentes de statuto etiam Provincialis VI. Concilii prohibitum esse sub excommunicationis pœna Clericis, et laicis cujuscumque sexus, ne præsumant Deum, B. Virginem, aut eos Sanctos blasphemare (158). Nec in picturis, aut imaginibus eorum in Ecclesiis, aut alibi depictis intus, vel extra injuriam facere: quod horrendum facinus in Sac. Imaginem B. M. V. sub invocatione pietatis XVI. vertente seculo ab ignoto quodam peregrino patratum non sine divinæ indignationis ostento, tam per Laicos Judices quam per Nostros Prædecessores comperto; probæ fidei monumenta testantur (159) Ad pravitatem hujusmodi, ejusque calamitates averruncandas Parochi illud sæpe repetant: *omnis blasphemia tollatur a vobis:* cunctosque admonere non prætereant, eos qui blasphemias cum hæresi conjunctas proferre ausi fuerint, Nobis esse deferendos; ut tanto malo occurrere ad formam canonicarum sanctionum valeamus.

93. Blasphemiæ affine perjurium. Graviter enim in Deum peccant, gravioribusque pœnis se irretiunt, quotquot hoc se crimine adstringunt (160). Insistente certe Proconsule, atque ajente, *jura, et dimitto te; convicium fac Christo;* Polycarpus respondit: *octoginta et sex anni sunt ex quo servio ei, nec me ulla affecit injuria: et quomodo possum convicia dicere adversus Regem meum, qui salvum me fecit* (161)? Hæc, et similia, quæ passim vel præcipua sacræ antiquitatis monumenta perhibent, si frequenter animarum Rectores fideles edoceant; horrendam prorsus blasphemandi temereque jurandi consuetudinem nisi extirpare, saltem minuere profecto, Domino cooperante, poterunt. Chrysostomum imitemur, qui per integram Quadragesimam de perjuriis vitandis Anthiochænum populum exhortatus, foris extra sacra Mysteria ejecturum denique dixit, qui se de hoc vitio non correxerint. (162)

94. Caveant tamen fideles mellitos eorum sermones, qui juramenti veluti vindices, atque assertores, postquam severissimum illud jusjurandum (163), quo veterum fere Priscillanistarum (164) more, damnatarum societatum secreta, ac Mysteria nulli communicaturos promiserint; docent postremo licere eos interficere, qui datam de absurdo hoc Secreto fidem non servaverint. Cum enim jusjurandum non sit vinculum iniquitatis, ac Sacramentum hujusmodi in praejudicium Religionis vergat, et Societatis, ideoque iterum, iterumq. sit ab Ecclesia damnatum; ne-

---

(155) Cap. 2 de *Maledicis* et Conc. Prov. VI an. 1374 tit. II cap. III. pag. 71. Item VII n. 3 pag. 245 et IX cap. II pag. 265. Consule Levit. XXIV. 14.

(156) Novella 77 et Cod. Poenal.

(157) Synod. *Matta* Cap. XXIX. *de Cas. reserv.* pag. 39. et *Summant.* Cap. VII. p. 34.

(158) Conc. Prov. VI. Tit II. Cap. III. pag. 71.

(159) Rem enarrat Io. Berardinus Muscatello (Praxis criminalis Neap. 1713. p: 563), quei per ea tempora S. Severi apud *Audientiam Provincialem heic degentem* praxim fidejussoriam perfecisse constat, ex ipsius admonitione ad lectorem.

(160) Conc. Matisc. 1 cap. 17. Vide Bingham. *Orig. Ecclesias.* lib. XVI cap. 7 parag. VIII vol. 7 pag. 366 ad. 368.

(161) Epistol. Eccl. Simyrn. de Martyr. S. Polycarp. num. 9. apud Ruinart Amstel. MDCCXIII. pag. 40 et 41.

(162) Homil. 15 in Math. apud Bing. ibid. Cap. VII. §. 5 p. 360.

(163) *Carb. Istruit.* Milano 1815 pag. 26, et seq.

(164) Notissimum illud horum effatum *jura, perjura, secretum prodere noli.*

mo est, qui non videat, nedum nullius esse momenti, verum etiam sacrilegio execrabili laborare; ac proinde absque ulla perjurii labe, aut periculo fideles teneri ad hujusmodi secreta detegenda ad formam Bullae *Ecclesiam*, prout superius indigitavimus (165).

95. Blasphemis, et maledicis adnumerandi, qui tenebrarum favore protecti illa utique fiducia: *quis enim sciet* (166), libellos plerumque famosos, aut satyras, etiam anonymas, aut supposito nomine, nec raro sacrorum verborum abusu refertas, componere, exarare, publicare, affigere, consulere, favere, aut etiam mandare non reformidant (167), adversus Tridentini decreta (168), et Provincialis, atque Dioecesanae Synodi sanctiones, non sine gravi censura, et absolutione Episcopis reservata (169).

96. Inter sacrilegos maleficosque recensendi quotquot Gentium more apud Nostros sortilegiis, auguriis omnibus, ac dierum observationibus superstitiosam operam vacant: his adde eos, qui in morbis utuntur incantationibus, aliasve exquirunt imposturas, cabalas, et praestigia ad futura libera sciscitanda, ad res deperditas, subtractasve reperiundas; vel etiam ad suam levandam aegritudinem; in quos jure, meritoque invehitur Chrysostomus (170) et ante ipsum Lactantius. Sed eos Magi, et quos vere Maleficos vulgus appellat, cum artes suas execrabiles exercent (171) sacrique Canones eosdem a conventu Ecclesiae separandos censent (172).

---

(165) Ex num. 14.
(166) Caj. Plin. Sec. *Epist.* Lib. IV. Ep. 25 n.° 4 Amstel. pag. 309.
(167) Synod. Sum. Cap. VII. pag. 34 et Conc. Prov. XIII. tit. 52 n. 5 pag. 501.
(168) Ses. IV. *Decretum de Edit. et usu Sacrorum Librorum.*
(169) Summant. ibid. et Conc. Prov. ibid.
(170) Synod. Marsic. I. Part. cap. III. n. 24.
(171) Divin. Instit. Lib. II. Cap. 17. Bibl. PP. cit. ed. Tom. IV. p. 264 et 265. Item Hieronym. in Daniel. Cap. 2. Oper. Tom. III. cit. ed. Col. 1707 et Cod. Theod. L. 5 et 9. de Maledicis.
(172) Divin. Instit. Lib. II. Cap. 17 Bibl. PP. cit. ed. Tom. IV. pag. 264 et 265.

PARS II.

CAPUT I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

97. Sicut humanum corpus gigni, nutriri, sanari, et ad perfectionem duci opus est: sic et mystico suo corpori gignendo, alendo, curando, atque ad perfectum ducendo Auctorem Fidei, et consummatorem Jesum Sacramentis suis providisse acute, pro more suo, observat Angelicus (173), atque luculenter exponit Eugenius IV (174). Horum quippe (*ait Pontifex*) quinque prima ad spiritualem uniuscujusque hominis in seipso vitam ac perfectionem: duo ultima ad totius Ecclesiae regimen, multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptisma enim spiritualiter renascimur, per confirmationem augemur in gratia, et roboramur in fide; renati autem, et roborati nutrimur divinae Eucharistiae alimonia. Quod si per peccatum aegritudinem incurrimus animae, per poenitentiam spiritualiter sanamur: spiritualiter etiam, et corporaliter, prout animae expedit, per Extremam Unctionem; per Ordinem vero Ecclesia gubernatur, et multiplicatur spiritualiter; per matrimonium denique corporaliter augetur.

98. Quae cum ita sint, merito post Eugenium, atque Apostolicam Catholicamque Traditionem haec septem dumtaxat, nec plura, nec pauciora esse vere, et proprie Sacramenta Novae Legis adversus in diem variantes Novatorum adinventiones sub anathematis poena definivit Tridentinum (175).

99. Hinc colligere curae erit Parochis, Populumque docere ab illis abhorrere libris, Cathechismis, statutisve, atque sententiis, quae pariter ut praemonuimus (176) Nobis denuntianda erunt, in quibus Ecclesiae Sacramenta (*quibus nova alia per summum scelus inventa substitui jactitant*), et ipsa Religionis Catholicae Mysteria pessumdantur (177). Sacramentorum quippe unus auctor est Christus, quod innuere videtur Paulus (178) scribens: *sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, et Dispensatores Mysteriorum Dei*, unde Ambrosius: *Auctor Sacramentorum quis est, nisi Deus Jesus* (179)?

100. Hac de causa cum sancta sancte tractanda sint, Rectoresque Animarum singulis momentis praesto esse debeant praebendis Sacramentis, ab omni mortalis culpae labe, quantum in se erit, Domino juvante, serventur. Quod si quis gra-

(173) In *Summa Theologica* Part. III Quaest. LXV. art. 1. in corpore.
(174) Instruct. ad Armen.
(175) Ses. VII. Can. 1.
(176) Ex num. 17 et 18.
(177) Cit. Bul. *Ecclesiam* ex num. 14.
(178) I. Corint. IV. et I.
(179) Lib. IV. de Sacram. cap. IV. et Trid. ses. VII. *De Sacramentis* Can. I.

vis reatus se conscium senserit, *quamprimum* secundum post naufragium tabulam arripiat; et ubi necessitas urgeat nonnisi contritionis actu prius elicito ad tantum ministerium accedat (180), ne praebens aliis medicinam, ipse lethali contagione se obstringat. Recogitet insuper, quod licet propria virtute, seu ut ajunt, *ex opere operato*, Novae Legis Sacramenta agant, nulli dubium tamen est, quin ex ipsius ministri charitate, et precibus uberiorem fructum desumant ii, qui ex eorum manibus illa suscipiant (181), juxta illud Alexandri Papae Sacerdotes *quanto digniores fuerint, tanto facilius, pro quibus clamant, exaudiuntur* (182).

101. Hinc interiori cordis munditiei actualem, aut virtualem saltem intentionem adjiciant faciendi, quod facit Ecclesia; exterius autem quo Sacramentorum majestas magis eluceat, et Canonum statuta serventur, ubi solemniter ministranda, superpelliceo et stola, nec laceris nec immundis vestibus utantur. Nitorem pariter et decorem in oratoriis, vasis, corporalibus, et ministrorum vestimentis a Sacris Canonibus praeceptum conservent: *nimis enim videtur absurdum in Sacris sordes negligere, quae dedecerent etiam in profanis* (183).

102. Cum vero verbis, atque elementis Sacramenta consistant, idoneam materiam Sacri Ministri praeparent, formam autem a Rituali Rom. praescriptam omnino adhibeant; ne Sacrorum Rituum omissioni, vel Sacramentorum illicitae administrationi, ne dum nullitati, sua utique culpa locus sit.

103. Sacramenta in Ecclesia administrentur, et signanter Baptismi, Eucharistiae, et Matrimonii: ac proinde, nonnisi de Nostri licentia, extra Ecclesiam administrari poterunt. Idem de Poenitentia dicendum; ubi tamen rationabili de causa virorum Confessiones domi etiam excipere contingat, loco decenti id fiat ad formam Ritualis Romani, cujus praescripta saepius perlegi, ac memoria mandari Parochis probe jussit Praedecessor Noster Matta (184): quoad Viaticum, et moribundos, sermo erit, ubi de ultimis Sacramentis.

104. Vim, ac potestatem Sacramentorum frequenter Parochi exponant, ut iis suscipiendis frequentius, ac debita cum modestia, decentique habitu viri, ac mulieres praesertim accedant (185).

105. Ipsi vero Parochi jugiter praesto sint, et alacriter accurrant Sacramentis praebendis. Festis vero diebus in Confessionali, etiam non requisiti ad horam saltem se sistant, quo facilius Sacramentis suscipiendis fideles invitent.

106. In abusum Sacramentorum invehantur, eique cavendo severissimam eorumdem custodiam sibi servandam suscipiant, clavibus adhibitis, ne possit ad illa temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia, ac nefaria exercenda: Claves autem Sacrae Custodiae, et Oleorum nulli saeculari homini, nisi fide digno, et in casu necessitatis, tradere audeant; scientes, quod si quis » ad quem spectat » custodia, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendetur; et si

(180) Ex num. 31.
(181) S. Greg. M. Reg. ep. lib. I, ind. IX. Ep. 35 ad Joan. Ep. C. P. op. tom. 2. cit. ed. Col. 508.
(182) Alex. Pp. Can. 90 Caus. I. Quaest. I.
(183) Cap. 2-° Extr. de Custodia Euchar.
(184) De Sacram. Cap. XXIV.
(185) Ex num. 40 et seq.

» per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, graviori subjaceat ultioni (186).

107. Libros renatorum, et confirmatorum, defunctorum, matrimoniorum, statusque animarum Parochi habere non desinant: sint tamen bene compositi, membranis tecti, corrigiis alligati, nitido charactere conscripti, singulis, prout casus eveniunt, diebus, particularum adnotatione muniti ad formam Ritualis Rom. Adjiciant pro faciliori earum usu nominum, et cognominum descriptionem in margine, atque in fine, aut in fronte indicem adamussim particulis respondentem.

108. Sacra olea a Nobis recipiant, iisque asportandis Diaconus, aut Subdiaconus saltem ante diem Paschae de singulis Ecclesiis ad Nos destinetur (187).

CAPUT II.

DE BAPTISMO.

109. Janua Sacramentorum Baptismus (188), immo Nostrae regenerationis origo: *nam nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei* (189). Unum igitur Baptisma, idemque necessitate medii, ut ajunt, ad salutem necessarium, atque indelebile constat, ut ait Apostolus, (190) *Lavacro aquae in Verbo vitae.*

110. Hinc detestanda illusorum temeritas, qui secundum desideria sua ambulantes in impietatibus, vel necessitatem Sacrosancti Baptismi philosophica licentia evertere conati sunt, nihil perversitatis originalis in hominum cordibus reperiri effutierunt (191). Undique reclamante divina humanaque Sapientia, nam *vitiis sine nemo nascitur*, vel novum nescio quod Baptismi nomen, ac ritum sacrilega temeritate non ita pridem invehere ausi sunt (192), reclamante Apostolo: *Unus Deus, Una Fides, Unum Baptisma*; et Tridentino indicente: *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi Characterem in anima, hoc est signum quoddam Spirituale, et indelebile, unde ea iterari non possunt, anathema sit* (193).

111. Nostrum porro heic non est impiorum deliramenta e Pelagianis officinis hausta profligare, quod abunde fecisse Nostros controversistas compertum est. Ipsae enim gentes, quae legem non habent, Poetae, et Pagani Philosophi vel in homine cujus unius diei vita est super terram, passionum tumultum legemque membrorum ultro citroque fatentur (194): *video meliora, proboque, deteriora sequor: Auriculas asini quis non habet*: quod eodem recidit ac illud: *ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et nemo mundus a sorde* (195). Unde neces-

(186) Cap. I. Extr. *de Custodia Euchar.* et Synod. Fort. *de Sacram. in gen.*
(187) Concil. Brachar. Can. 51. Dist. IV. *de Cons.* Can. CXXIV.
(188) Conc. Prov. VI. sub Hugon. II. Guid. an. 1374 Tit. IV. pag. 74.
(189) Joan. III. 5.
(190) Ephes. V. 26.
(191) *L'Emile et Mandement de M. Archevêq. de Paris.* Oeuvres divers. de Rousseau Tom. III. pag. 10.
(192) Ex num. 97.
(193) Ses. VII. de *Sacr. in gen.* Can. IX.
(194) Ex num. 108.
(195) Psalm. L. et Job. XIV. v. 4.

sitas baptismi, de qua Apostolus: *sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* (196); et quidem primario *lavacro regenerationis in Verbo vitae.*

112. Gravi praeterea facinore obstringi dignoscuntur, quotquot impediunt collationem hujus saluberrimi Sacramenti. Tales porro sunt procurantes abortum, vel etiam consulentes, aut huic sceleri cooperantes; qui propterea tam Ecclesiasticis, quam civilibus poenis mulctantur (197), tanquam homicidii voluntarii rei, praesertim si foetus animatus sit, quod fidelibus exponere Parochi non praetereant; eos monentes hujusmodi scelus, effectu sequuto, in Nostra Dioecesi sub excommunicatione esse jam olim reservatum (198).

113. Inculcent item Parochi qua cautione praegnantibus sit incedendum, ne vel desperatione, vel licentia, vel intemperantia, vel domesticorum improbitate, vel etiam insuetis oneribus se gravantes, vel choreis, saltationibusque indulgentes, vim quasi utero inferre videantur; et occasionem, non certe innocuam, abortui praebeant: e contrario tunc orationibus potius, et pietatis operibus ipsis instandum esset: » *Eo quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant* » *gratiae partem, quae semper universis impensa est nationibus: qua utique,* » *si bene eorum uterentur parentes etiam ipsi per eosdem juvarentur* (199).

114. Inferant pariter quam bene se gerant Christianae puerperae, quae post renatos infantes pro tanto munere Deo grates reddere non omittunt, et stato tempore benedictionem Sacerdotalem ad Ecclesiam recipere festinant ad formam Ritualis Rom. Consulant propterea parentes, ut puer, quam citius poterit baptizetur (200), quod ultra sextum diem differre sub gravi censura Synodus *Fortunati* prohibuit (201). Si vero mortis metus immineat infantem domi baptizari non negligant; sed si superstes fuerit, quam primum ad Ecclesiam deferri curent; non ut iterum abluatur, sed vel ut, quae incaute fuerant omissa, caute suppleantur, vel ut ritus omnes, seu sacramentalia ad formam Rit. Romani adimpleantur. Ea enim, sive praecedant, sive sequantur *Baptismum magnis sane sunt plena mysteriis, per VI. Synodum Generalem diligenter expositis* (202).

115. Quod si de collatione, vel valore Baptismi prudens dubium oriatur, sub conditionali forma iterum esse abluendum, et Sacris Canonibus sanctum (203), et Ecclesiae Patribus exploratum est (204). Exorcismis, qui juxta Rituale Rom. baptismo praemittuntur, non intra, sed ante fores Ecclesiae omnino faciendi sunt, ut etiam in secunda Summantici Synodo habetur (205).

---

(196) I. Corinth. XV. 22. Rom. V. 12. 18.

(197) Constit. Xisti V. *Effraenatum* 29 oct. 1588 *parag.* 1. et Greg. XIV. *Sedes Apostolica* 31 Maii 1591 par. 3 Bullar. Rom. Tom. 5 part. 1. fol. 25 et 275.

(198) Syn. Summantici cap. VII. pag. 33 n. 6.

(199) *De Vocatione Gentium* Lib. 2. cap. 23. Oper. S. Leonis, Lugd. 1700 T. I. pag. 29. V. la N. *Dottrina di G. C.* P. II. Diss. V. C. II. §. IIII. n. 362.

(200) Conc. Prov. VI. Tit. IV. pag. 77.

(201) Synod. Fort. *de Baptism.*

(202) Syn. Marsic. Part. II. Cap. II. n. 84. et Tournely de *Sacr. Bapt.* Q. Ult. Venet. 1755. T. VII. pag. 186. et seq.

(203) Cap. 2. Extr. *de Baptis.*

(204) S. Greg. Mag. lib. XIV. Ep. 17. Tom. 2. cit. ed. Col. 1279, S. Gregorius non est mihi. S. Thomas, quem habeo, nil dicit de hoc.

(205) Cap. 3. de *Sacram. Eccl.* pag. 9

116. Suscipiendis renatis Patrinos Ecclesia admittit, qui Spiritualem eorum curam suscipiant. Nullus propterea sine magna necessitate, nostraque licentia plures uno contextu praesumat suscipere. Regularibus tamen cujuscumque ordinis, et sexus id vetitum (206); quod etiam inhibetur omnibus Presbyteris, et Clericis absque Nostra, vel Vicarii Generalis permissione, nisi cum consanguineis, et affinibus, ipsorum usque ad tertium gradum inclusive. Idem pariter omnibus excommunicatis, infidelibus, haereticis, Schismaticis, aliisque a jure prohibetur, quod ubi opus sit, admoneant Parochi (207).

117. Nascentibus filiis, ait Theodoretus (208) parentes martyrum vocabula imponere studeant, *securitatem inde ipsis, tutelamque comparantes*, more majorum, qui *propheticum aliquod, vocabulum* a gentilitate conversi praeseferre gloriabantur (209). „ *Non quaevis nomina temere, ac fortuitu deprompta*, subdit Chrysostomus, (210), *sed Sanctorum potius hominum, qui virtutibus refulserunt, liberis imponere satagant, ut eorum exemplo ad virtutes incendantur* (211).

118. Ad vitandum suffocationis periculum, parentes, nutrices, aliique, ad quos spectat, detinentes infantes ante annum completum in proprio lecto, absque sufficienti cautela, norint id sibi, sequuto effectu, sub excommunicationis poena vetitum, et inter casus a Nobis reservatos annumeratum (212).

CAPUT III.

DE CONFIRMATIONE.

119. Cum audissent Apostoli, qui erant Hierosolymis, quod recepisset „ Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum, et Joannem. Qui cum venissent, „ oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum Sanctum . . . Tunc imponebant „ manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum (213). Quid clarius in Dallaeum, et asseclas ad veram sacramenti rationem in Confirmatione adstruendam? *Oraverunt*, en formam: *imponebant manus*, ecce materiam; *accipiebant Spiritum Sanctum*, en gratiae, immo fontis gratiarum collationem; ac proinde divina institutio. Neque enim Apostoli tanta frui potuissent potestate, nisi a Christo donati fuissent; neque vero sine expresso Christi mandato dandi Spiritum Sanctum tantam sollicitudinem sibi injecissent; quod multo magis Patrum traditione, et Sanctorum Canonum sanctione conficitur (214).

120. Si autem in Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur; nonnisi fidelibus Chrisma tribuendum, cum ad annos discretionis pervenerint; non autem

(206) S. Greg. M. lib. IV. indict. 12. Epist. 42, ibidem Col. 722. Item distinct. 4. de *Consecrat.* Can. 103, et 104.

(207) Cit. distinct. Can. 102.

(208) Theodor. Serm. 8. *de Graecar. Affect. Curationib.* ap. Ruin. Cit. edit. pag. 522. not. 1. et act. *S. Balsami* ibid. n. 1.

(209) Euseb. de Martyr. Palest. Cap. XI. Cit. edit. Tom. I. pag. 429.

(210) Hom. 22 in Genes. vide sequentem apud Vales. in Euseb. notam.

(211) Vide Vales. in Euseb. *Hist. Eccl.* lib. 9. cap. 25. Tom. I. pag. 354.

(212) Syn. Summant. cap. VII. p. 33. n. 11.

(213) *Actor.* VIII. 14 et seq.

(214) Tournely. *De Sacram. Confirm.* Quaest. I. Art. II. Conclus. T. VII. Venet. 1755 pag. 20 et seq.

excommunicatis, schismaticis, interdictis, vel criminibus gravioribus alligatis. Adulti autem deberent prius confiteri peccata sua, vel saltem de mortalibus, si in ea inciderint, conteri, nec plures, quam unus, ad tenendum confirmandumve accedat (215) absque Nostra licentia.

121. Cum vero Confirmatione imprimatur character, ac proinde iterari non possit; ideo cautius in Dioecesi ageretur, si parvuli quousque saltem essent annorum quatuor, non confirmarentur, maxime ad iterationis periculum, mortuis eorum parentibus evitandum; quod publicari inculcarique per Parochos in Ecclesiis praecipimus, et mandamus (216). Si autem prudenter dubitetur de aliquo, tunc poterit Confirmari sub conditione, prout dictum est de Baptismo (217). Ætas per Cathechismum Romanum, in qua convenit confirmari, est circa septennium, seu discretionis, prout statuit Synodus *Summantici* (218). Adulti negligentes Confirmationem graviter sunt reprehendendi; sacrilegi autem habeantur qui id repetere malitiose non vereantur.

122. Caveant non confirmati, aut alio canonico impedimento detenti, ne ullum ad confirmandum praesentent; cum graviter peccent, licet non sit irritum Sacramentum: nec parentes in primo gradu tenere infantes praesumant, nam in Confirmatione contrahitur affinitas Spiritualis: quod Parochi, appositis Cathechismis, tribus saltem circa Pentecosten Dominicis, una cum effectibus hujus sacramenti explicare satagant.

123. Mares a maribus, et foeminae vicissim a foeminis teneantur, et unus, aut duo ad summum suscipiantur.

124. Pueri fidei articulos, orationem Dominicam, et Angelicam salutationem ad minus edocti, schedulam cum nomine, et cognomine tam confirmandi quam Parentum et Patrini, Matrinaeve prius obtineant a Parocho, quam admittantur ad Confirmationem. Caeteris hanc Parochi denegabunt. Si vero casus necessitatis, mortisve revera immineat, Nos adeant.

125. Proposito per Nos edicto confirmationis administrandae, animarum Rectores non semel Paraecianos suos monere curabunt, ut ad Spiritum Sanctum, ejusque dona accipienda digne se praeparent. Catalogum puerorum aetatis in Cathechismo praescriptae, aut saltem in Concilio Provinciali VI designatae conficiant; nec nisi merentibus, ac dispositis praefatam schedulam tribuant eos hortando, ut ad tantum Sacramentum decenter se parent: moneant pariter in Baptismo, et Confirmatione unum Patrinum fieri posse, si necessitas cogat (219).

126. Confirmatorum denique, eorumque Parentum, ac Patrinorum, quibuscum compaternitatem contrahi hoc sacramento liquet ad formam Ritualis Romani, librum habeant; in quo confirmatorum, atque eorum parentum, patrinique nomen statim, ac diligenter adnotare non praetermittant (220).

---

(215) Distinct. IV. Can. 101. Concil. Prov. VI. Tit. V. Cap. III. pag. 80.
(216) Conc. Prov. VI. Tit. V. Cap. III. pag. 80.
(217) Id. ibid.
(218) Cap. IV. p. 18.
(219) Distinct. IV. *de Consecrat.* Can. 102 Collat. cum Prov. Conc. XIII. Tit. XXXIX. num. 8. pag. 471.
(220) Ex numero 105.

CAPUT IV.

DE SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

127. Coenantibus Discipulis accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque eis dicens: *accipite, et comedite, hoc est Corpus meum* (221). Cumque idem de vino in suum sanguinem vi verborum converso protulisset, subdit: *hoc facite in meam commemorationem* (222). Nitidissima haec verba, quibus realis Christi praesentia, verissimique nominis Sacramentum in Eucharistia constituitur, ne dum veteratoribus a decimo sexto praesertim saeculo, verum etiam Pseudophilosophis recentioribus bilem in nasum conciunt. Voulterius sane, qui horum mysteriarches esse gloriatur, summa temeritate, atque impudentia maximum hoc sacramentum adortus monstruosum, et absurdum, Deoque contradictorium blaterare non est veritus (223).

128. Sapientulone, vel judaeo Dei mysteria non intelligenti, aut aestimanti, an Unigenito, qui est in sinu Patris enarranti, Fides praestanda? Annuntiante siquidem Christo hujusmodi sacramentum litigabant judaei ad invicem, dicentes: *quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum* (224)? Multi immo e discipulis obmurmurarunt: *durus est hic sermo, et quis potest eum audire* (225)? Quid porro ad haec Servator? Poenituit ne dicti, mutavitve consilium? Stetit in praemissis; ac minitans, fidem suam iterum obligando, adjecit: *nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis* (226).

129. Sinamus igitur, ut veterem de limo ranae quaerelam garriant. Atheos linquamus, qui Deum omnium Creatorem pernegant. Conditori naturae leges, non legibus naturae creatorem subjectum fateamur: *si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu*, ut apposite argumentatur Ambrosius (227), *ut inciperent esse, quae non erant, quanto magis operatorius est, ut quae erant in aliud commutentur?*

130. Prodigium fatenti nil monstruosi, neque absurdi, vel contradictionis in hoc admirabili opere occurret credenti: *si aquam enim mutavit in vinum, quod est sanguini propinquum in Coena Galilaeae sola voluntate*, subdit Cyrillus Hierosolymitanus (228), *et non erit dignus, cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutasset?*

131. Sileant igitur ranae, cum tonat Olympus; nec Physicae legibus, unoque sensuum judicio divina metiamur. De mysteriis Dei revelatio per Ecclesiam proposita regula sit; captivare intellectum fas est in obsequium Christi. Hic si ra-

---

(221) Matth. XXVI. 26. Marc. XIV. 22.
(222) *Luc.* XXII. 19. et 1. *Corinth.* XI. 24.
(223) *Pièces détachées Tom.* 1. verbo *Transubstantiationem.*
(224) Joann. VI. 53.
(225) Ibid. v. 61.
(226) Id. Ibid. v. 54.
(227) Lib. IV. de Sacram. Cap. IV.
(228) Cathec. *Mystag.* IV.

tio quaeritur fas est concludere cum Augustino ad Volusianum (229), non erit mirabile: si exemplum poscitur non erit singulare, demum *Deum aliquid posse; quod Nos fateamur investigare non posse: in talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.*

132. Corpus autem, et sanguinem Domini in Eucharistia profitentes, rejectis impiorum blasphemiis, et sarcasmis, cultu latriae illud venerandum, Parochi instanter doceant Scripturis traditum, Patrum consensu (230) firmatum, et Ecclesiae definitione statutum (231).

133. Probet itaque seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat, sive Sacerdotes, inquam, sive laici, gravis culpae conscii, et ab Eucharistia sumenda se abstineant; in prius sacramentali Confessione suae conscientiae exomologesni praemiserint, aut urgente necessitate, contriti cum proposito quamprimum se confitendi (232).

134. Ne sanctum canibus tradere, aut margaritas ante porcos projicere judicemur, publisci peccatoribus, blasphemis, conjugibus sine causa legitima cohabitare nolentibus, inimicitias palam colentibus, aliisque similibus facinorosis, dummodo post admonitionem in peccato perseverent, Sanctorum Patrum instituta sequentes (233), atque Provincialium ac Dioecesanorum etiam Conciliorum statuta renocantes (234) universa hac Synodo adprobante, denegandam hanc sacram refectionem mandamus.

» 135. Omnis utriusque sexsus fidelis, postquam ad annos discretionis perve» nerit ex Concilio Lateranensi IV, singulis annis tenetur omnia sua peccata fide» liter confiteri proprio Sacerdoti . . . ac reverenter suscipere ad minus in Pascha » Eucharistiae Sacramentum; alioquin et vivus ab ingressu Ecclesiae arceatur, et » moriens Christiana careat sepultura (235). Tam salutaris statuti executioni Parochi invigilantes, a die cinerum, quod est *caput jejunii* (236), singulis Dominicis exponere ovibus suis non desistant, ne quisquam ignorantiae coecitate velamen excusationis assumet. Quod si Parochi id facere neglexerint, arbitrio Episcopi puniantur (237).

136. Hinc Fideles ad praescripta Praedecessoris Nostri *Summantico*, ut huic praecepto satisfaciant, tempore statuto de manu sui proprii Parochi sacramentum Eucharisticum sumere tenentur. Qui secus communionem acceperint, quam de manu Nostra; Parochive licentia sciant ad normam ipsius Synodalis Cosntitutionis se praecepto Paschali non satisfecisse (238).

137. Quia vero Parochum et pascere, et noscere oportet oves, ideo praefato tempore si nos ipsi pro more communionem populo impartiemur, Nobis adsint;

(229) S. Augustin. Ep. 237. alias 3. *ad Volusianum* cap. 2. n. 8.
(230) Nat. ab Alex. Hist. Eccl. Saec. IX ad 12 Diss. XII. art. 5 tom. 6 pag. 903 et seq.
(231) Trid. sess. XIII. cap. V.
(232) Ex num. 98.
(233) Vid. Syn. Marsic. *De Euchar. Sacram.* Part. II.
(234) Conc. Prov. VI. ann. 1374 Tit. VII. cap. XIV. pag. 160. Synodus Fort. et 1. Summ. cap. V. pag. 23.
(235) Cap. XII. Extr. *de Poenit., et Remissionib.*
(236) Ex num. 63.
(237) Conc. Prov. X. ann. 1567 Tit. IV. de *Sacr. Euchar.* Cap. 1. p. 283.
(238) Syn. *Summant.* Cap. V. p. 21.

ut Eucharistiam suscipientes agnoscant; vel quanto fieri poterit per semetipsos Paschalem communionem dispensent, suscipientibus, pro consuetudine, schedulam distribuendo, quam tempore Paschatis expleto nomine, et cognomine suscipientis munitam repetant, et de eis librum ordine alphabetico conficiant; juxta Synodale *Fortunati* praeceptum. Hunc vero librum ad Nos deferant, ut status animarum sibi commissarum, quae in Paschate communionem sumpserint, quaeve non facile comperiatur: utque de his provideamus ad Canonum (239) et Concordati (240) prescriptum, quod sic habetur expressum: *Procederanno eziandio colle censure contra qualunque tra fedeli, che sia trasgressore delle Leggi Ecclesiastiche, e de' Sagri Canoni.*

138. Frequentiam praeterea Eucharistiae fidelibus commendare satagant, tum ex Patrum suffragiis *accipe quotidie, ut quotidie tibi prosit* (241); tum ex mente Ecclesiae, quae optaret, ut in singulis Missis fideles astantes communicarent (242): cum denique ex commodis, et utilitatibus exinde provenientibus. *Frequens enim communio unit amplius Deo per amorem, deperdita restaurat, virtutum augmentum parat, venialia remittit*, et secundum aliquem Doctorem *oblita mortalia delet, praevia examinatione diligenti, poenam peccatis debitam minuit*; sic Gerson apud Launojum, qui Theologorum Synodorumque consensum pro hac saluberrima disciplina Ecclesiae erudite collegit (243).

139. Quae cum ita sint, tanto magis Clericos decet sacramentorum frequentia. Tridentinum certe Subdiaconos, et Diaconos alloquens, seiant, inquit, *maxime decere, si saltem diebus Dominicis, et solemnibus, cum Altari ministraverint sacram Communionem perceperint* (244). Quod Nostro Edicto (245), post Predecessorum vestigia, quoad majores Ordines singulis saltem Dominicis, quoad minores vero his saltem in mense faciendum praecepimus; et hoc Synodali decreto confirmamus. Hujus rei juratum testimonium in singulis Ordinationibus deferre habentes Rectorem animarum, librum conficiant, in quo communiones Clericorum suae Paraeciae, atque etiam Seminarii alumnorum, dum foris degunt singulis vicibus adnotare valeant, et ex quo plenam adtestationem suo tempore excipere tenebuntur.

140. De nostris etiam familiaribus, ac domesticis, ut aliis exemplo sint ad vitam Christianam instituendam, Concilii Provincialis X hortamenta sectantes, curare non desinemus, ut qui Sacerdotes non sunt, saltem diebus Nativitatis D. N. J. C. Pentecostes, et Assumptionis B. M. V. Sacram Eucharistiam sumant (246).

141. Quoad infirmos vero id Parochorum zelum acuet, ut qui moriatur, necessario vitae Viatico, ad Nicaeni Concilii sententiam (247) non defraudetur. Deferentes autem saltem duas sacras Hostias in parva Pyxide habeant, ne locus sean

---

(239) Conc. Prov. X. tit. IV. de *Sacram. Eucharist.* Cap. 1. pag. 288.
(240) Art. XX. Synod. Fort. de SS. *Euchar. Sacram.* et Summ. cap. V. pag. 22.
(241) Joan. Chr. Hom. V. in. *Ep. ad Timoth.* August. Serm. 68 *de verbis Apostoli.*
(242) Trident. Ses. XXII Cap. 6 Canon. XIV. distinct. II. *de Consecrat.*
(243) Launojus *de Frequent. Confes. et Commun.* usu lib. unic. cap. 1, tom. 1. Col. Allob. 1731 pag. 115. et seqq.
(244) Sess. XXIII. cap. XIII.
(245) Edict. sub die XXIV. Aug. 1819.
(246) Conc. Prov. X. Tit. IV. cap. 2. pag. 288.
(247) Caus. XXVI. Quaest. VI. Can. IX.

dalo detur, si sine particula consecrata ad Ecclesiam redire contigerit. Enixe autem, ac saepissime Parochi hortentur fideles, maxime vero sodalitatis sanctissimi Sacramenti confratres (248) ut sui debiti memores onus sibi a regulis injunctum illud ad aegrotos eundo, redeundoque comitandi fideliter adimpleant. Sic enim omnes indulgentias, a Summis Pontificibus elargitas lucrari poterunt, quas Parochi identidem publicare non desinant. Clerici demum ad normam nostri edicti (249) Sanctissimum Viaticum comitari sollemni habeant.

142. Eucharistiam publice adorandam absque causa a Nobis adprobanda, et sine Nostra licentia, ad antecessorum Constitutiones Synodales (250) in qualibet Ecclesia, etiam Regularium exponi prohibemus, exceptis functionibus ordinariis a Rubrica præscriptis.

143. Laudabilem serotinæ sanctæ Visitationis, necnon sacris Processionibus prima, vel tertia qualibet Dominica fieri solitæ SS. Eucharistiae Expositionis consuetudinem summopere commendamus. Haec vero, ut majori qua fieri poterunt decentia, animique devotione, ac populi concursu fiant, enixe cunctos in Domino exhortamur.

144. In reliquo Prædecessorum *Fortunati*, *Matta*, et *Summantico* constitutionibus inhæremus.

CAPUT V.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

145. Testimonium reddente, vel ipsa conscientia nemo mundus a sorde, seipso judice nemo nocens absolvitur: quod, si verum de gentibus, quæ legem non habent, quanto magis de iis, qui non ex humilitate tantum prout Pelagiani blaterarunt, verum etiam ex veritate quotidie fatentur: *dimitte nobis debita nostra?*

146. Impares plane satisfaciendæ divinæ justitiæ pro peccatis etiam, quibus in dies inquinamur; gratias agamus Deo diviti in misericordia, qui nedum lavacrove generationis originalis culpæ servitutem abstulit et dæmonis destruxit imperium; verum etiam secundam post naufragium, lapsis scilicet post baptismum, paravit tabulam, mortis Christi sacrificium per Pœnitentiæ sacramentum adplicando (251): quod enim ipsemet sæpissime cum peccatoribus egerat, remittendo eis peccata multa, id etiam faciendum dedit Apostolis, inquiens; *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quæ sane verba, subdit Tridentinum (252): *Si quis dixerit non esse intelligenda de potestate remittendi, et retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiae, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem praedicandi Evangelium, anathema sit.*

(248) Conc. Prov. X. tit. IV cap. VII. pag. 289.
(249) Datum die 24 Aug. 1819.
(250) Synod. Fort. ibid.
(251) Trid. Sess. XIV. cap. I
(252) Sess. XIV. *de Sacram. Poenit.* Can. III.

147. Tam perfecto Dei dono fidelibus commendando Parochi sæpissime insistant; addant insuper arcanæ, seu auricularis confessionis institutum, in quod tantopere post Novatores invehuntur increduli, duce Volterio (253) fabulis conviciisque tamquam novum, aut durum illud impetentes, maximum esse fidelium beneficium, ipsis Ecclesiæ cunabulis coaevum. Summo enim Græcæ, Latinæque Ecclesiæ consensu et signanter ab Irenæo, Tertulliano, et Cypriano (254) edocemur majores Nostros apud Sacerdotes Dei dolenter, et simpliciter, confitentes et adnecto exomologesin conscientiæ facere, animique sui pondus exponere consuevisse: quam praxim per priora etiam tempora a Synodis comprobatam, videre est apud Bellarminum, aliosque Theologos (255).

148 Excipiendis Confessionibus cum Ordinarii sit idoneos sacerdotes destinare, et adprobare (256), ne tam gravi munere indigne, imperite, aut invalide fungatur, nemo absque facultatibus ad id exercendum a Nobis, vel Nostro Vicario Generali in scriptis (*nisi aliter nobis expedire videatur*) obtentis, confessiones fidelium in Diœcesi audire audeat (257). Nostræ vero pagellæ tenorem, et conditiones adamussim servet, nisi Parochiale Beneficium obtineat. Qui autem oretenus hac facultate adaucti reperiuntur *intra duos menses* eamdem consequantur *in scriptis*, quo termino elapso, omni jure audiendi sacramentales confessiones destitutos se sciant.

149. Cum sancta sancte tractanda sint; confessiones fidelium in Ecclesia in sedibus Confessionalibus non interdictis excipiantur a sacerdotibus superpelliceo, et convenienti stola indutis, juxta Nostræ Sanctæ Visitationis decreta: nihilominus pro viris dumtaxat, ubi necessitas aliter suadeat, etiam in alio decenti loco id fieri permittimus. (258)

150. Humilibus, decenter compositis, prout de Eucharistia dictum (259), interius autem bene dispositis nec aliunde notorie immerentibus, hoc sacramentum dispensare Parochi satagant. Ubi vero non reperiuntur sedes confessionales, non inferantur absque Nostra licentia. Mulieres autem non audiantur ante solis ortum, nec post eius occasum ad formam Ritualis Romani. Infirmae denique nonnisi ostio cubiculi aperto, ita ut sacerdos possit ab aliis conspici, non tamen audiri.

151. Inter audiendas confessiones tanta gravitate, et modestia se gerant confessarii, ut nec per indiscretam admirationem, animarumve zelum, nec per commiserationis, et confidentiæ excessum pœnitentibus vel timorem incutiant, vel scandali occasionem praebeant (260); de rebus autem Sacramento extraneis sermonem, vel tractatum instituere non audeant.

---

(253) Hist. gen Cap. XI. ap. Lupoli de Poenit §. 2 Jur. Eccl. Tom. 3-Lib, 2. Bass. p. 144

(254) S. Irenaeus. lib. I *contra haereses* cap. XIII n. 5. Tertul. *de Poenitent.* cap. IV et IX. S. Cypr. libro *de lapsis* ann. 251 Oper. Brem. 1690 Tr. pag. 134.

(255) Bellarm. lib. III *de Poenitent.* cap. VI et seq.. Tournel. de Sacram. Poenit. Quest. VI

(256) Trid. Sess. XXIII cap. XV. *de Reformatione.*

(257) Synod. Summ. cap. VII. pag. 31.

(258) Ex num. 101.

(259) Ex num 40 et 41.

(260) S. Greg. M. Regul. Past. 2. pars, cap. VI, Op. Tom. II. Parisiis 1705 Col. 20 et seq Et Moral. Tom. I lib. IX cap. VIII. n. 9 cit. edit. col. 26.

152. Ne vero panem petenti scorpionem tradi contingat, confessarii constitutiones Greg. XV, et Benedicti XIV. (261) contra sollicitantes accurate perlegant, probe calleant, et ad unguem servare studeant.

153. Casus jamdiu ob gravitatem, æque ac frequentiam in hac Nostra Dioecesi reservatos, prout leguntur in 2. Synodo *Summantici*, et prostant in tabellis confessionalibus sedibus affixos confirmamus. Hinc, qui eosdem absolvendi potestate pollent, diligenter eos perpendant, ut summa discretione, et consilii maturitate erga Poenitentes iisdem obnoxios se gerere queant. Qui vero ex confessariis nondum hac potestate instituti sunt, ab iis absolvendis se prorsus abstineant; qua de re tabellas ipsas diligenter considerent, memoriæque tradere satagant.

154. Pars integralis hujus sacramenti satisfactio est. Quæ olim hac in re praxis Ecclesiæ fuerit, quæve medicinalia opera, æque ac satisfactoria absolutioni præmiserit, edocet antiquitas, et vel ipsi Pœnitentiales Canones comprobant. Publicæ pœnitentiæ rigore temperato, non ideo satisfactionis debitum sublatum. Hoc sedulo perpendant confessarii injungendo Pœnitentibus condignam pro modo culpae satisfactionem. Caveant tamen, ubi ratio postulet, eleemosynas, restitutionesve injungere, semetipsos iis exequendis offerendo; sed pœnitentium id relinquant arbitrio. Multo autem minus easdem sibi, vel suis Ecclesiis, aut Monasteriis sub quovis colore, et prætextu applicent; ut omnem simoniæ, vel avaritiæ suspicionem, et majorem peccandi proclivitatem devitent: *crescit enim multitudo peccantium, cum redimendi peccati spes (vel potius licentia) datur*, ajebat Arnobius (262), *et facile itur ad culpas, ubi est venalis ignoscentium gratia.*

155. Confessionis sigillum naturali, divino, (263), ecclesiasticoque jure firmatum inviolabiliter servando, *caveat Sacerdos ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem* (264): quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a Sacerdotali officio deponendum decernimus (*pronuntiat concilium generale Lateranense* IV), (265) verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.

156. Exitialem usuræ voraginem, quæ frigescente charitate tanto cum Christiani nominis dedecore ne dum pauperum substantias devorat, verum etiam innumeras Christi fidelium animas trahit in profundum; quæque istis profecto temporibus aperuit os suum, pro nostri muneris, quantum cum Deo possumus, cura, si non tollere omnino, saltem minuere cupientes, quædam in hoc genere delicta et quidem frequentiora a sacris Canonum, et probatorum Patrum sententiis damnata, ac nominatim prohibita, iterum prohibenda duximus, ut reprobamus (266).

(261) Greg. XV. *Universi Dominici gregis* die XXX. August. 1622 Bull. Rom. tom. V. par. 5 pag. 54 et Benedict. XIV *Sacramentum Poenitentiae* Tom. I. Cost. XX. pag. 22, et seq. et Synod. Summ. pag. 31.

(262) *Adversus Gentes*, lib. VII. n. IV Bib.PP. cit. ed. tom. IV pag. 204.

(263) S. Thom. in addit. *ad tertiam partem* Quaest. XI. art. 1. in corpore.

(264) Cap. Omnes utriusque Sexus 21 Extr.

(265) Cit. cap. 21.

(266) Conc. Prov. VII. ann. 1378 n. 8, et seq. pag. 246 Prov. X tit. II pag. 319.

157. » Nemini igitur liceat (*verba sunt Concilii Provincialis XII. an. 1599*) » ex mutuo, vel depositis, quidquam percipere ex pacto, nec sperare principali- „ ter, etiam si pecuniæ ipsæ sint piorum locorum, viduarum, pupillorum, aut » dotales sint, nisi quantum jura nominatim permittant. Nemini liceat rem carius » vendere, et statim vilius per se, vel per interpositam personam sibi ab empto- » re emere. Nemini liceat ob dilatam solutionem justo pretio carius vendere, aut „ ob anticipatam vilius emere. Nemini liceat pro pecunia, pro frumento, vino, oleo, „ aut quovis mutuo dato aliquid plus accipere, nec pro corrupto integrum, et bo- » num, etiamsi restitutionis tempus ad libitum debitori differatur. „

158. » In societate, in qua unus pecuniam confert, alter operas, lu- » crum per quotas æquales partes distribuatur, nec plus pecunias conferens sibi » accipiat, nec fiat pactio, ut salva forte principali, lucrum, seu fructus æque » inter eos dividantur. In animalibus datis ad soccidam (*ut vocant*) casus fortuiti » ei, qui dedit, obsint, nisi damnum socii dolo, aut negligentia culpabili acciderit. » Cum animalia locantur certo pretio, si detrimentum accipiunt absque dolo aut ne- » gligentia ejus, qui conduxit, locanti damnum sit, sin aliter conducenti. Cum- » que animalia æstimata dantur, ut sors dantis quocumque casu salva sit, ultra „ sortem dans ille nihil accipiat. Cambia, ut vocant *sicca*, cum alibi solvendam » pecuniam asseritur, literæque vere non fiunt, sed in uno, et eodem loco datur » pecunia, et recipitur, reprobata sunt „ (267) Monemus insuper cum eodem Concilio, quod qui in hujusmodi deliquerint cooperando, præterquam quod peccatum mortale committunt, restituere tenentur, Ecclesiasticaque carent sepultura ex Gregorii XI. Constitutione (268).

159. In sanguinolentos, misericordiæ tamen fuco larvatos, foeneratores, quorum usuræ species nostro ævo haud infrequentes, nec minus detestabiles, præstat audire Hieronymum: „ *Putant quidam usuram tantum esse in pecunia. Quod* „ *praevidens Scriptura divina omnis rei aufert superabundantiam*, *ut* plus non » recipias, quam dedisti. *Solent in agris frumenti*, *et milii*, *vini*, *et olei* (269) » *caeterarumque specierum usurae exigi... verbi gratia*, *ut hiemis tempore demus* » *decem modios*; *et in messe recipiamus* quindecim, *hoc est amplius partem* » *mediam. Qui* justissimum se putaverit quartam *plus accipiet portionem*, *et so-* » *lent argumentari*, *ac dicere*: Dedi unum modium, qui satus fecit decem mo- » dios. *Nonne justum est*, *ut medium modium de meo plus accipiam*; *cum ille mea* » *liberalitate novem*, *et semis de meo habeat?* nolite errare, inquit Apostolus, » Deus non irridetur. *Respondeat enim nobis breviter* foenerator misericors, *u-* „ *trum habenti dederit*, *an non habenti?* *Si habenti*, *utique dare non de-* „ *buerat*, *sed dedit quasi non habenti. Ergo quare plus exigit*, *quasi ab ha-* » *bente? alii pro pecunia fœnerata solent* munuscula accipere *diversi generis*, » *et non intelligunt usuram appellari*, *et superabundantiam*, *quidquid illud* „ *est*, *si ab eo*, *quod dederint*, *plus acceperint* (270) »

---

(267) Con. Prov. XII. An. 1599 Tit. XXXIX. cap. un. p. 354.
(268) Id. ib., et Conc. Prov. XIII tit. LVIII. pag. 507 et seq. - Item. Prov. XIV. tit. LI. pag. 555.
(269) Conc. Prov. XII. tit. XXXIX. pag. 356.
(270) S. Hieronymus *Comment. lib. 6 in Ezech. cap.* XVIII. operum Tom. 3. Paris. 1704 Col. 823.

160. Quoad alios vero usurarum casus ad Nostras Synodales constitutiones *Summantici*, quae typis prostant, Parochos, et Confessarios mandamus, ut ipsis se conforment: id unum dumtaxat adjicimus contractum scilicet nuperrime heic fieri coeptum traditionis scilicet segetum ad privatam quamdam vocem vulgo *vocetta*, unanimiter a Synodo tamquam illicitum reprobatum; cum permissum sit stare voci publica auctoritate redactae, ac Synodalibus praescriptionibus *Summantici probatae* (271).

CAPUT VI.

DE EXTREMA UNCTIONE.

161. Veritatem hujus Sacramenti aggreditur inter protestantes Dallaeus, quasi nec Scripturis, neque Traditione constet. Fallitur, aut fallit audax veritatis oppugnator. *Infirmatur quis in vobis?* ait Jacobus (272), *inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio Fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, remittentur ei*. Coecus sit, oportet, qui non videat in verbis Apostoli 1.° signum sensibile in olei unctione, quae stat loco materiae, et oratione Presbyteri, quae habet rationem formae. 2.° *Promissionem* Gratiae, sine qua, qui fieri posset, ut si in peccatis sit infirmus, remittantur ei? 3.° *Institutionem Divinam*, secus qualiter Jacobus tam firmiter pronunciasset externa illa unctione, et alleviari infirmum, congrue tamen praeparatum, et ejus peccata dimitti? Patrum vero, ac Synodorum consensum videre est apud Theologos (273). Merito igitur Tridentinum: *Si quis dixerit extremam unctionem non esse vere, et proprium Sacramentum* » *a Christo Domino Nostro institutum* » et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed » ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, *anathema sit* (274).

162. Sacramentum non modo Poenitentiae, sed totius Christianae vitae complementum damnabile, et periculosum est ex contemptu, vel negligentia omittere (275): conferatur tamen decumbentibus ex defectu naturae, non ex eventu fortunae (276). Quantum vero fieri poterit, conferatur aegroto, cum in eo adhuc integra mens, et ratio viget, fidemque, et religiosam animi voluntatem offerre potest (277), ut suas Presbyteri precibus adjiciens, eo magis oratio fidei salvare, et alleviare queat infirmum, eique peccatorum remissionem obtinere. Quod si sensibus destituatur, pariter inungatur sacro oleo, dummodo constet vel petiisse, vel si mente valuisset, petiturum (278).

163. Heic locus est, ut Parochis summopere inculcetur adsistentia moribundis (279) usque ad vitae exitum, cum enim, hinc adversarius sciens, quia modi-

---

(271) Cap. XXI. pag. 63.
(272) Cap. V. v. 14.
(273) Juvenin. de Sacram. Dissert. 7 *de Extrema Unctione*.
(274) Trident. Sess. XIV. *de Extrema Unct.* Can. 1.
(275) Conc. Prov. VI. tit. VIII. Cap. 1. pag. 115.
(276) Idem Ibid. pag. 114.
(277) Catech. Rom. part. II. cap. VI. n.° 9. Conc. Prov. XIII. tit. XLVII. p. 489 Prov. XIV. tit. VII. cap. 1. pag. 521.
(278) Conc. Prov. VI an. 1374. tit. VIII. cap. 1. p. 115.
(279) Vide supra de *Eucharistia* n. 138.

cum tempus habet, magis circumeat, tamquam leo rugiens; inde vero Dominus adsubveniendum paratissimus invitet ad poenitentiam *in quocumque die conversus fuerit homo, peccata ejus non imputabuntur ei* (280); non præsto esse periclitanti *sub onere peccatorum*, vel decedentis desideriis; *quid hoc rogo est aliud, quam morienti mortem addere, ejusque animam, ne absoluta esse possit, occidere* (281)?

164. Infirmos igitur suae Paraeciae Parochi nedum frequenter invisant, sed jam morientes agonizantesve cum viderint non derelinquant: vocatique in re trepida diuque, noctuque alacriter accurrant; eisque constanter ad exitum vitae assistant: ne culpabili negligentia extrema unctione vel ultimis animae adjutoriis aegrotos, dum animam aguut sua culpa privantes, gravissimo peccato se onerent (282). Ingravescente itaque morbo Parochorum sollicitudo incalescat et tamquam de animabus rationem reddituri moribundos ne deserant, sed eos consolentur ut forti animo, ex hujus mundi miseriis ad futurae beatitatis gloriam evolare satagant (283).

165 Ne vero aegroti falsa spe decepti sine sacramentis decedant, Medici, quibus id sub gravibus poenis injungitur (284), sacris canonibus morem gerentes, *cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, et inducant, ut medicos advocent animarum; ut postquam fuerit infirmo de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinae remedium salubrius procedatur, cum causa cessante cesset effectus* (285).

166. Pueris aliqua discretione carentibus, mulieribus in partu laborantibus, furiosis dilucida intervalla non habentibus, ac freneticis hoc sacramentum licite denegabitur (286); quibus vero impertietur stola, et superpelliceo induti, oleo ab Episcopo benedicto, et servata in omnibus forma a Rituali Romano praescripta, illud Parochi conferunt (287),

CAPUT VII.

DE ORDINIS SACRAMENTO.

167. Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quae est in te, per impositionem manuum mearum: ita Paulus ad Timoth. (288); Paulo praeierat Christus in ipsa traditione Eucharistiae in illis verbis, *hoc facite in meam commemorationem*, ut declarat Tridentinum (289), probantque Doctores (290). Re quidem vera in manuum impositione *signum externum*, in verbis, *hoc facite*, institutio-

(280) Ezech. XXXIII. 16.
(281) Caus. XXVI. Quaest. VI. Can. XII. et XIII.
(282) Conc. Prov. XIV. tit. VII. cap. 1. p. 521 et Syn. Summant. cap. IX. p. 39.
(283) Conc. Prov. X. Tit. X. pag. 295.
(284) Syn. Summant. cap. VII p. 34 n. 17.
(285) Innoc. III. In Conc. Later. IV. Cap. XIII. de Poenit., et remis., et Pius V. Constit. supra *gregem* 8 Martii 1566 Bull. Rom. Tom. IV par. 2. parag. 3 pag. 281.
(286) Conc. Prov. VI. tit. VIII. pag. 115. Syn. Fortunati *de Extrema unctione*, et Summant. Cap. IX. pag. 39.
(287) Syn. Summant. ib.
(288) II. Timoth. I. 6.
(289) Sess. XXII. *de Sacrif. Miss.* Cap. 1.
(290) Vasquez in tert. part. S. Thom. Disput. 83 cap. III. n. 2, Et Tournely de *Sacr. Ord.* Quaest. II Concl. Oper. cit. ed. Tom. X. pag. 14 et seq.

nem divinam; *in gratia resuscitanda* collationem gratiae, ecquis non intuetur? Merito igitur Sac. Synodus Ordinem vere, et proprie sacramentum esse Scripturae testimonio, Apostolica traditione, Patrumque consensu perspicuum esse definivit (291); illudque gratiam, et characterem indelebilem conferre et in anima imprimere decrevit, oppositamque doctrinam anathemate perculit (292).

168. Hinc sequitur 1. Nemini cito manus imponendas; nec obiter, et sine matura suimetipsius consideratione ad ordines esse currendum 2. Candidatos boni testimonii esse debere in laudabili Ecclesiae servitio, sacramentorumque frequentia (293), in propriae scholae assiduitate, in pueris erudiendis de Christiana doctrina (294), et in Sanctissimo Viatico infirmos comitando, cum scholae non intersint, ceterisque Canonicis requisitis in Nostro Edicto propositis (295) muniti sint oportet, ut a Nobis admittantur. Quae omnia jurata Parochi, Praefecti; vel ubi Clericorum, aut Congregationis Spiritus Praefectus fuerit testificatione mense ante diem ordinationis (296) erunt nobis comprobanda (297).

169. Haec tamen locum habebunt, quoties de speciali nostra licentia ex gravissimis causis per nos cognitis permittatur Novitiis, Clericisve ad tempus extra Seminarium morari.

170. Ceterum nemo prorsus ad sacros Ordines promovebitur, qui diutius in eodem Seminario non degerit (298), ibique studiorum curriculum integre peregerit, et spiritus ecclesiastici non leve specimen dederit, quorum pariter juratam fidem Rector pro tempore faciet.

171. Repellentur autem juxta Praedecessorum etiam constitutiones, qui de vita, ac moribus, ordinumque exercitio nec non de stata sanctissima Eucharistiae sumptione perspectum non exhibeant testimonium; qui in clericali habitu, talarique veste jugiter non incesserint (299), aut praefatis requisitis non muniantur; qui denique susceptum nulla necessitate dimiserint habitum, si intra mensem non resumpserint, ulterius non promovebuntur; reassumentes autem, nonnisi postquam laudabile vitae experimentum dederint.

172. Statis praeterea temporibus gradatim, servatisque temporum interstitiis, nec nisi utilitate, aut necessitate etiam Ecclesiae requirente per nos dispensandis, ad formam Synodalium Constitutionum, ac praesertim Tridentini (300) ordinandi a Nobis provehentur.

173. Patrimonium ad sacros ordines jure novissimo necessarium ad formam Concordati (301), Nostrique S. Visitationis decreti sub die 16 Aprilis 1820 pro taxa Dioecesana statutum valoris est annorum quinquaginta ducatorum nostri regni, ex-

---

(291) Trident. Sess. XXIII. cap. 3. et Can. 3.
(292) Idem Trident. Can. IV.
(293) Ex num. 136.
(294) Ex num. 25.
(295) Edict. 24 Augusti 1819.
(296) Conc. Prov. XIII Tit. XLIV. n. 8. p. 482.
(297) Cit. num. 136.
(298) Synod. Matt. Cap. XXIV. de Sacram.
(299) Cit. edict. 24 Aug. 1819.
(300) Sess. XXIII. *de Reform.* Cap. XIV.
(301) Art. XXI. Collat. cum Reali Rescripto Circulari 6 Septembris 1820 et 23 Aprilis 1823.

clusis, prout de jure, iis, qui collusivas fortasse, aut fictitias donationes contineant sub poenis Canonicis (302), atque per nostras Synodis statutis (303). Vetamus insuper sub iisdem poenis idem Patrimonium quovis titulo, vel praetextu nobis inconsultis obligari, alienari, vel distrahi, *cum nullum Episcopo ordinare liceat, si non det illi, unde vivere possit* (304).

174. Gemmam denique Sacerdotii cælibatum profitemur ex disciplina Ecclesiæ, diuturno usu a temporibus Apostolicis firmatam, quam Siricius, Innocentius, aliique Summi Pontifices, et Concilia decretis, Canonibusque suis roborarunt; cujus sanctimoniam, irrito licet conatu post Hethærodoxos (305) etiam nuperrime, fuco Catholici nominis larvati Veteratores (306) impugnare non sunt veriti.

175. Quantum igitur timoris, atque maturitatis susceptioni majorum ordinum continentiæ perpetuæ legi obstrictorum impendere debent Ordinandi, ut libere prorsus illos suscipiunt tantum pariter studii ac perseverantiæ in despiciendis impiorum cavillationibus atque calumniis de ejusdem legis *crudelitate*, ut aiunt, vel etiam *repugnantia adversus Naturam*, quam adversus Patrum doctrinam Ecclesiæ disciplinam, et tot Theologorum apodicticas confutationes somniare non verentur (307). Quid enim tam possibile, quam quod veteris, novique pacti innumeris viris, immo etiam foeminis integerrimi cælibatus, ac perspectissimæ virginitatis cultoribus factitatum; prout sacræ, et ecclesiasticæ testantur historiæ (308). Nihil autem magis adversum Ecclesiæ veritati, divinisque de ea promissionibus, Deique summæ bonitati, qui continentiæ donum recte petentibus non denegat, nec patitur supra id quod possumus, tentari (309), quam isthæc in sanctam cælibatis legem convicia, et mendacia. Nihil præterea Sacerdotalis ministerii sanctitati, nihil orationis assiduitati, nihil Sacrificio veroque ac ministerio indesinenti, nihil prorsus Ecclesiæ bono, animarumque regimini magis decens, ac commodum, quam Sacerdotium, et Sacrificium perpetuum ab iis tantum exercendum, atque offerendum, qui indesinenti, et perpetuæ se devoverint castitati (310).

---

(302) Distinct. 70. Can. 1 et 2 et Trident. Ses. XXI. *de Reformat*. Cap. II.

(303) Synod. Fortun. *de Sacram. Ordin.*

(304) Cap. 2. Extrav. *de Praebend.*

(305) Nat. ab. Alex. Tom. IV. Saec. IV. Diss. XIX. prop. II cit. ed. pag. 256 et seq.

(306) *Corrispondenza di due Ecclesiastici Cattolici sopra il Celibato*, Italia 1807.

(307) *Corrispondenza* Ibidem.

(308) *Ragionamento Politico Morale sulla possibilità de' Matrimonj*, Italia 1808. Cap. 7. pag. 35 ... Veggasi pure il nostro voto, o parere sopra i Trattati di Geremia Bentham Cap. II. §. IV. et seq.

(309) Trid. Sess. XXIV. *de Matrim.* Can. IX.

(310) Origen. Homil. XXIII in Num. cap. 28. Vide etiam Lupoli Juris Canon. *praelectiones* adversus lib. *del Matrimonio degli Ecclesiastici*, lib. 2. cap. 8. §. 4, et seq. Tom. 3 pag. 211, et seq.

CAPUT VIII.

DE MATRIMONII SACRAMENTO.

176. Matrimonii perpetuum, indissolubilemque nexum inter duos dumtaxat ab initio creaturæ a protoparente prænuntiatum, a Christo autem apertius expositum ostendit Tridentinum (311): ex verbis Adæ: *et erunt duo in carne una* (312), sic a Christo Domino explicatis. *itaque jam non sunt duo, sed una caro: quod ergo Deus conjunxit homo non separet* (313). Gratiam vero, quæ naturalem conjugum amorem perficiat, atque indivisibilem unitatem confirmet, et utrumque sanctificet ab ipso Sacramentorum institutore Christo promeritum ex Apostolo probat cum ait: *viri diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea*, mox subjungens: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, et in Ecclesia* (314).

177. Merito igitur inter novæ legis sacramenta matrimonium Christi gratiam in nova lege veteribus connubiis præstans, septem Ecclesiæ Sacramentis, sancti nostri Patres, Concilia, et universalis Ecclesiae traditio semper adnumerandum docuerunt. Mirum tamen quantum impii hujus saeculi homines in sanctas disciplinas insanientes, ac libertatem carnis introducentes, prolata Adae, seu potius Dei, Christique verba in alienos ab Ecclesia Catholica sensus detorserint. Eo usque processerunt, ut crassae ignorantiae insimulaverint eos, qui ad mentem Tridentini eadem intelligant (315). Ne plures igitur ad se trahat perniciosa eorum contagio, doctrinam de sacramenti matrimonii indissolubilitate, deque vera, et propria natura hujusmet sacramenti a Tridentino traditam, ac duodecim anathematis firmatam Parochi jugiter ob oculos habeant. Hoc enim veluti compendio, et fides hujus sacramenti statuitur, et futilia Novatorum commenta ut ut a recentioribus novo fuco illita diluuntur.

178. Tria pariter matrimonii commoda, prolis scilicet, fidei, et sacramenti explicare non desinant. Unde triplex gratiae sacramentalis effectus exoritur. Bono namque prolis fit, ut liberi amanter suscipiantur ac religiose educentur, unde matrimonii bonitas, atque utilitas. Bono fidei pluralitas simultanea uxorum excluditur, unde amor conjugalis statuitur, et extraneae mulieris excluditur intemperantia. Bonum denique sacramenti, quod vinculum constituit indissolubile, quale inter Christum, et Ecclesiam, et sacramentalem superaddit gratiam, de qua Apostolus (316): *alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.*

179. Hisce, et similibus, quæ nostri Polemici præbent (317), argumentis,

---

(311) Sess. XXIV. *Doctrina de Sacramento Matrimonii.*
(312) Genes. II. 24.
(313) Math. XIX. 6.
(314) Ephes. V. 25. 32. - Veggasi pure il nostro *Parere Eccl. Pol.* ivi pag. 129.
(315) *Ragionamento Politico Morale sulla solubilità de' Matrimonj.* Cap. VII. pag. 26, et seq., et 34, et seq.
(316) I. Corinth. VII. 14.
(317) Tournely de *Sacram. Matr.* Tom. XI. Quaest. II. Art. II, et Quaest. V. pag. 26, 32, et seq.

poterunt contradicentes arguere, qui adversus matrimonium indissolubilem nodum tot blasphemias, et calumnias evomere non cessant, quas nos etiam alibi paucis indigitare non omisimus (318):

180. Ut autem magnum hoc sacramentum ordine suo procedat, neve nullitatis periculo exponatur solemnitatibus cunctis, quæ præcedunt, aut comitantur matrimonium a Tridentino, et Rituali Romano præscriptis, muniri mandamus. Hinc triplex praecedat oportet proprii Parochi tribus continuis diebus festis in Ecclesia inter Missarum solemnia proclamatio de iis, inter quos matrimonium sit contrahendum, salva dispensatione quoad numerum earundem, causa prius legitime per Nos cognita, ad instar ipsius Concilii concedenda (319); si tamen bimestre ab ultima proclamatione dilapsum fuerit, non contracto matrimonio, ex integro per Parochos, denuntiationes fiant, oportet.

181. Inter requisita contrahentium adsit necesse est in Christianæ fidei rudimentis sufficientis instructionis testificatio. Meminerint tamen Parochi, Benedicti XIV monitum (320), *quod si detur homo hebetis ingenii, et exilis memoriæ, ut hæc non possit retinere, non esse perpetuo arcendum a matrimonio, quod est institutum in officium naturæ, et propterea nemini sine propria culpa denegandum*; *sed curabit Parochus, ut qui eo memoriæ defectu laborat, frequenter audiat, quod semel crasse didicit, ne ab ejus mente penitus elabantur.*

182. Cum autem coram Ecclesia, et ad ejus præscripta celebrandum sit matrimonium, ut validum habeatur, et ex Ecclesiæ regulis quædam impediant, quædam vero dirimant etiam matrimonium jam contractum, in his eliminandis, vel detegendis tota versabitur Parochorum solicitudo, et industria. Frequentiam, nedum cohabitationem in primis inter sponsos ante matrimonium, quo magis obviam eo plus periculi, et plerumque scandali plenam detestari, ac redarguere, et pro viribus removere non prætereant. Moneant pariter, quod si inter sponsos peccari contingerit, excommunicationis, quam incurrant (321), absolutionem Episcopo reservatam esse, gravemque illis pœnitentiam impositam iri (322).

183. Ubi vero aliquod suboriatur impedimentum, sive impediens illud sit, sive dirimens, non contrahatur matrimonium juxta Canones, nisi prius dispensatione obtenta debitæ executioni demandetur (323). Matrimonium autem nonnisi in Ecclesia Paræciali post solis ortum, et si de nostra licentia, vel sero, vel domi faciendum permiserimus, semper servata debita decentia, et coram sacra imagine celebretur (324).

184. Et quoniam, ut ab ipsis Ecclesiæ exordiis ad Polycarpum scribebat Ignatius, *decet, ut sponsi, et sponsæ de sententia Episcopi conjugium faciant, et non secundum cupiditatem* (325). Sententia vero Episcopi non nisi cognito prius statu libero contrahentium ab omni prorsus impedimento, emitti queat, cujus rei probationes admittere Canonum, et Provincialium statutorum præcepta

---

(318) *Voto, e parere sopra i Tratt. di Legislazione del Sig. Bentham* Cap. II. §. IV. e V. Napol. 1821.

(319) Sess. XXIV. de Reform. Cap. I.

(320) De Synod. Diœces. lib. 8. Cap. XIV. n. 3. Ferrariae 1775. p. 441.

(321) Synod. Summant. cap. VII. p. 34 n. 12.

(322) Conc. Prov. XI. ib. et Synod. Summ. ib. pag. 41.

(323) Benedict. XIV. Quaest. 45.

(324) Conc. Prov. XI. ib. et Syn. Summant. ib. pag. 41.

(325) S. Ignat. Mart. Epist. II. ad Polycarp. Cap. V. ex versione I. B. Cotelerii Biblioth. PP. T. I. pag. 263. ed. Galland. Venetiis 1765.

ad Episcopum pertinere extra controversiam statuunt (326); hinc ad servanda omnia quae Tridentino praesertim, sacris Canonibus et civilibus legibus (327) praecipiuntur, et ad vitanda scandala, et clandestina matrimonia, quae semper detestata est Ecclesia, et nulla demum declaravit Concilium, mandamus prout jam in more est, quod sine licentia nostra, vel Nostri Vicarii Generalis, et sine debita adprobatione status liberi per nostram Curiam decernenda Parochi matrimonio non intersint; nec testimoniales status liberi alicui tradant.

185. Praemissis ceteris solemnitatibus, Parochi, per verba de praesenti *vis, et volo*, duobus saltem testibus praesentibus, sponsos ad formam Tridentini, et Ritualis Romani rite conjungant; quod in codice matrimoniorum ad formulas in eodem Rituali praescriptas statim adnotare non praetermittant.

186. Admoneant item contrahentes de indissolubili sacramenti hujus vinculo; quin immo eosdem certiores faciant ipsam thori, et habitationis separationem, nonnisi ex gravissimis, et legitime probatis causis, Ecclesiae, non proprio judicio, per sacros Canones permitti (328).

187. Tanti Sacramenti honestati, conjugumque mutuo amori compellentes clamores, chachinnos, strepitus, sarcasmata, aut contumelias, quae in nuptiis praesertim mutilorum, deformium, senumve, quamdam sapientes gentilium vanitatem, perpatrari solent, omnino prohibemus (329).

188. Sanctitatis matrimonii tamquam corollarium inferant Parochi, quod si grave peccatum est, homines solutos concubinas habere, in magni hujus sacramenti singularem contemptum vertitur uxoratos quoque in tali damnationis statu vivere; quin immo eos quandoque domi cum uxoribus alere, ac retinere. Scandalo huic occurrere cupientes in hujusmodi concubinarios leges Ecclesiae, sacrosque Canones publice pessumdantes, postquam ter admoniti fuerint, nec concubinas ejecerint, procedatur ad formam Tridentini et Concordati (330), invocato etiam si opus fuerit, brachio saeculari (331) in contumaces, cujuscumque sexus, et conditionis.

189. Ad vitanda pariter scandala, Praedecessorum decreta renovantes, volumus, Parochum, qui cohabitantes cum mulieribus exteros, ignotos viderit, et viceversa, legale testimonium de matrimonio inter eos legitime contracto exquirere, quod si intra triduum non exhibeatur, ad Nos deferat, ut opportune providere valeamus (332).

190. Quoniam vero intelligimus a Regularibus nullam curam animarum habentibus falcem in alienam messem immitti, et sponsorum vel etiam mulierum a partu ad Ecclesiam venientium benedictiones fieri, quae munia propria Parochorum sunt: ideo nos eosdem monitos volumus, sub poena excommunicationis a Concilio Provinciali X ann. 1567 eis mandatum esse, ne hujusmodi officiis ad eos minime spectantibus, ullo pacto se immisceant (333).

---

(326) Conc. Prov. XI. Cap. XXIII. p. 328.
(327) Cod. Civil. Tit. V. del Matrim. Cap. I. art. 151.
(328) Caus. XXXII. q. I. Can. 4; et Cap. II. VI. et VII. de Divert.
(329) Ex Synod. Dioecesana Montis Falisci 1694. C. XXIII. n. II.
(330) Trid. Sess. XXIV. Cap. VIII. de Reformatione et Concord. art. XX.
(331) Trid. de Reform. Matrim. Sess. XXIV. Cap. VIII.
(332) Synod. Summant. cap. X. p. 42.
(333) Con. Prov. X. Sess. VII. Tit. I. cap. V. pag. 318.

PARS III.

DE ECCLESIASTICA DISCIPLINA.

CAPUT I.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

191. *Vita tua speculum sit, ubi milites videant, quid agere debeant.* Effatum quod Ferrandus Diaconus, Regino militum Præfecto (334), veluti alteram innocentiæ regulam proponebat, totidem ferme verbis clericis applicandum voluit Tridentinum (335): Nihil siquidem est, ait, quod alios magis ad pietatem, et ad Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita, et exemplum, qui se divino ministerio manciparunt, in quos tamquam speculum reliqui oculos conjiciunt ex iisque sumunt quod imitentur.

192. Quid autem vitandum, quid agendum in sortem Domini vocatis ut vere Domini sors, seu pars esse videantur, et sint, singulatim edicere mens certe nostra non est; tum quia super rem a tot Patribus (336) tradita, a tot Conciliis statuta (337), et a sacris Theologis per capita digesta, brevis periodi lex Synodalibus constitutionibus præscripta diutius immorari non sinit.

193. Præcipuis igitur in quo peccatur capitibus consulentes præcipimus 1.°, ut clerici habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil, nisi grave, moderatum, et religione plenum præseferant. Nulli proinde liceat sine *collario*, et corona clericali suo ordini congrua in publicum egredi: 2.° Interdicimus omnino pileos rotundos, fasciolas, seu focalia, calceamenta cum corrigiis, aut tæniis, quæque vulgo appellantur *sariche*, *giacchette*, *calzebrache*, *scamiciate*, quod etiam Regalibus vetitis locum dedisse dolet: *Nec de lege conqueror*, ut Hieronymi utor eloquio (338), *sed doleo cur meruerimus hanc legem. Cauterium bonum est, sed quo mihi vulnus, ut indigeam cauterio?* Vestes nigri coloris, immo talares, in hac Diœcesi tanta laude in more positas summopere commendamus, quas communes omnibus semperque volumus. In sacris vere functionibus, et in Ecclesia omnino indispensabiles statuimus. Vestes autem nec sordidae, nec exquisitæ sint. *Ornatus, ut sordes pari modo fugiant, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet* (339).

---

(334) Epist. VII. Regula II. Bibl. Vet. PP. et Galland. T. XI. p. 366. Col. B.

(335) Trid. Sess. XXII. *De Reform.* Cap. I. et Sess. XXIV. *Decr. de Reform.* proem. cum declarat. Gallemart. in cit. C. I. Sacros. conc. Tridentinum. Tridenti 1762. pag. 140 et seqq.

(336) S. Hier. Epist. XXXIV. ad Nepotian. Oper. T. IV. cit. ed. Paris. 1706 Col. 256. et seq.

(337) Extrav. de Vita, et honestate Clericorum Lib. III. Tit. I. et seq.

(338) Ad Nepotian. ibid. p. 260. 61.

(339) S. Hier. ibid. p. 262.

194. A consuetudine mulierum maxime extranearum, et suspectarum, quovis sub colore clerici se abstineant: memores illius Basilii ad Paregorium (340): *Nec primi, nec soli, Parcori statuimus, ne mulieres cum viris cohabitarent. Sed lege Canonem, qui a SS. Patribus Nostris Nicænæ editus est, qui aperte prohibet, ne sint subintroductæ. In hoc autem situs est cœlibatus decus, et honestas, quod separati simus a consuetudine et consortio mulierum » Nisi forte*, verba sunt mox laudati Canonis III. Nicæni (341) *aut matrem, aut sororem aut amitam, vel eas tantum personas, quæ suspicionem effugiunt. Solus cùm sola*, subdit Hieronymus (342), *secreto, absque arbitro, vel teste non sedeas . . . . caveto omnes suspiciones, et quidquid probabiliter fingi potest.*

195. Caveant præterea clerici ab ebrietate, in qua est luxuria (343) a commessationibus, choreis, ludisque illicitis; nec non a foris, et plateis, a tabernis, et popinis, a venationibus prohibitis, a nundinis, a quæstuosis negotiationibus, et ab officiis sæcularibus: Hæc enim eos, qui de sorte sunt Domini, maxime dedecent, quæque lucra sæculi, nec semel turpia, sapiant; ne dicatur eis: *Cleri eorum non proderunt eis* (344). *Procuratores, et dispensatores domorum alienarum, atque villarum quomodo possunt esse Clerici, qui proprias jubentur contemnere facultates* (345)? Testimonium dicere, vel de crimine aliquem accusare sine nostra licentia nequeant (346): Nimiam sæcularium familiaritatem devitant, et a publicis conventibus absistant.

196. Declinantes a malo, bonum operentur. Attendant igitur sibi, et doctrinæ. Sacras Scripturas legant, immo de manibus eorum nunquam sacra lectio deponatur. Orationi mentali quotidie vacent, cantum Gregorianum norint, sacros ritus calleant, ut sollemnibus Ecclesiæ functionibus rite exercendis pares sint.

197. Conscientiæ suæ exomologesim saltem per hebdomadam faciant. Spiritualia exercitia tantopere a Clemente XI (347), commendata, plenariaque indulgentia aucta, cum facultate etiam, dum iis attenditur, distributiones quotidianas lucrandi, animarum rectores, Confessarios, Canonicos, Participantes, aliosque Ecclesiasticos viros enixe hortamur, ut semel saltem in anno peragant.

198. Sacrorum rituum, et conscientiæ casuum congregationes, ut in calce Ordinarii habetur, saltem bis in mense prout moris est, in Civitate, et Diœcesi peragantur; atque ad Nos quolibet mense Januario resolutiones præteriti anni per Vicarios Foraneos, et examinatores Synodales, postquam illas diligenter expenderint, trasmittantur; ut deinceps a nobis nostrisque examinatoribus Civitatis revideantur, ac de iis quod magis expedit, providere valeamus.

---

(340) Apud. Natal. Alex. Sæc. IV. cit. diss. XIX. prop. I. cit. ed. T. IV. pag. 253.
(341) Apud Labbè cit. Collect. T. II. Florentiae 1759. p. 679 ex versione Dionysii Exigui.
(342) Cit. Epist. ad Nepotian. ibid. p. 260.
(343) Ephes. V. 18.
(344) Hier. XII. 13. ibid. 260.
(345) Hier. ibid. pag. 262.
(346) Caus. 2. Quæst. I. Can. XVII. et Concil. Prov. XIV. Tit. XVI. cap. 2. p. 526.
(347) Encycl. *Ad Universos Italiae Ordin.* 1. Feb. 1710.

CAPUT II.

DE PAROCHIS.

199. Seniorum ministerio, ope etiam, plerumque et consilio adjutos Episcopos ab ipso Ecclesiæ ortu docet antiquitas (348). Multitudine autem credentium vel in Civitatibus aucta, vel in vicis, et oppidis propagata minoribus ab Episcopo conventibus Presbyteros præferre oportuit, quibus sensim Parochorum nomen invaluit (349). Horum sub Episcopo est *prædicare*, *baptizare*, *præesse*, *benedicere*, *offerre*.

200. De singulis hisce Parochorum muneribus non pauca suo quæque loco superius delibavimus (350); nunc generatim adjicimus, quod fiant forma gregis ex animo, qui vitæ viam subditis vivendo denunciant: ut *grex*, *qui Pastoris vocem*, *moresque sequitur*, *per exempla melius*, *quam per verba gradiatur* (351).

201. Parochi igitur in propria Ecclesia saltem die dominico celebrent et plebes salubriter moneant: præcipue summo mane ad suas Ecclesias convolent, ut ad audiendas pauperum matrumque familias confessiones, præsto esse queant. Valorem pariter indulgentiarum populo explicent (352); sacramenta sollicite ministrent, jejunii dies, ejusque obligationem ad canonum libellam proponant, ipsimet mortificationem Christi in corpore suo gerentes; *Delicatus* enim *magister est*, *qui pleno ventre de jejuniis disputat*. (353).

202. Pro sacramentorum administratione nihil accipiant; nisi quod jure, vel consuetudine rationabili, et legitime præscripta iis, permissum innotescat: Quarta pars et ceræ Episcopi Procuratori de jure et consuetudine tribuetur; reliquum dividetur inter eos, qui interfuerint exequiis, dummodo manet in Choro Matutino, et Missæ non desierint, et si post meridiem sepeliatur vesperis interfuerint (354). In Parœcia, aut prope ad commode ministrandum degant. Caveant ne quis absque sacramentis ultimisque officiis decedat (355).

203. Pauperum ægrorum, nubilium, viduarum, pupillorumque curam sedulam habeant, atque Episcopo quidquid eorum bono occurrere viderint, referant.

204. Post fidei professionem, sedi Apostolicæ, et proprio Episcopo obedientiam spondeant; Parochialia jura, et bona pari juramento, ac fidelitate servare, ac defendere non prætereant.

205. Bonorum Parœciae inventarium habeant: cujus exemplar authenticum ad nos intra duos menses transmittant.

---

(348) Bingham *Origin. Ecclesiast.* Lib. II. Cap. 19. §. 4. ad 14. vol. I. pag. 276, et seq. Halae Magdeb. 1751.

(349) Id. ib. lib. IX. Cap. 8. §. 2. 4. Vol. III. pag. 593 95 V. *Nostram Synod. Marsican.* n. 147. et seq.

(350) Ex num. 20 usq. ad 24. et seq. 61 et seq.

(351) S. Greg. Reg. Pastoral. part. II. cap. III. cit. ed. Tom. II. col. 15.

(352) Ex num. 89. 138. et ad nostram Pastoralem Epist. super Jubilæo anni 1824 editam.

(353) S. Hieron. ad Nepotian. p. 361.

(354) Acta S. Visit. Malaspinæ 1591. cap. V. de exequiis, et sepulturæ generale decretum.

(355) Vide de Extrema Unctione 161.

206. In libros Paroeciales concinne elaboratos (356) in dies particulas, ut praemonuimus, referre non differant, Doctrinae Christianae rudimenta una eademque docendi methodo superius indicata (357) pueros edoceant (358): Qua vero sedulitate, et patientia id muneris sit expediendum exemplo nitidissimo Ambrosii edicemus (359).

CAPUT III.

DE CANONICIS.

207. Vetus Episcopi Presbyterium constituunt Ecclesiae Cathedralis Canonici, quos propterea Tridentini Patres *Ecclesiæ senatum* appellant (360). A canone, in quo recensebantur, seu potius a diligentiori Canonum observantia, Canonici nuncupati speculum, et exemplar reliquis de Clero se præbeant, sacrosque Canones præ cæteris norint, et impleant. Litterarum sacrarum maxime scientia, ac morum integritate praecellant; quos etiam, et praecipue Capituli dignitates, quoad fieri poterit, doctores, vel saltem in sacra Theologia, vel jure canonico licentiatos, concilia optant (361) ut esse decet.

208 Ad eorum officia quod attinet, vel animarum cura, aut cooperatio iis adnexa est, et tum quæ de Parochorum muneribus dicta sunt, ipsis quoque convenire par est; vel solemnis psalmodia praecipuae ipsis curae est; atque, ex Tridentini decretis, *in choro ad psallendum instituto*, hymnis et canticis *Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare* satagant. (362).

209. Quae vero iis in choro peragenda, quae precavenda sigillatim edicunt Capitularia. Haec autem a Nostro Praedecessore Carolo Francisco Giocoli magna quidem maturitate redacta sub die XV Novembris 1715, nos etiam adamussim servanda hoc speciali decreto praecipimus, atque mandamus Idem quoad reliquas collegiales Ecclesias earum statuta praescribunt.

210. Ut vero Capitularium praescripta novis in dies Canonicis magis innotescant, ea saltem bis in mense in choro legi volumus; et quoniam exemplaria adeo deperiere, ut multis desint, curae erit Capitulo, ut intra sex menses prius per Nos recognita, praesentibusque decretis adaucta, iterum edantur; ut inter Canonicos pro tempore distributa diligentius poterint observari.

211. Si quid igitur in iis desiderandum, explicandumque occurrat, quod *suæ*, successorumque facultati idem Praedecessor in Capitularium conclusione reservavit, id profecto est, ut quilibet suum jugiter stallum teneat (363), atque in eo, ubi canendo locus non sit, silentium perpetuo servet, nec aliud extraneum peragat; neque sub quovis praetextu, vel alibi vagetur, vel etiam in sacrario,

(356) Ex num. 107.
(357) Ex num. 24.
(358) Concil. Provinc. XIV. Tit. I. cap. V. pag. 517. Vid. supra n. 24.
(359) Infra num. 225.
(360) Sess. XXIV. *De Reformat.* Cap. XII. cit. ed. pag. 281.
(361) Trid. sess. XII. *de Reformat.* cap. II. et sess. XXIIII. cit. cap. XII. p. 281.
(362) Ses. XXIV. *de Reformat.* cap. XII.
(363) Decret. S. Visitat. an. 1819.

horarum Canonicarum tempore maneat. Nemo quavis de causa recedat a choro, nisi veniam, de more a Praefecto pro tempore obtinuerit, secus ut absens habeatur, et punctatura mulctatur.

212. Nullus denique discedat, nisi dato signo per eumdem chori praefectum, quod officium sit terminatum; aliter ultra punctaturam totius officii, non lucretur distributiones illius diei. Quoniam vero infirmitatis praetextu saepe contingit, horis praesertim vespertinis, tam parvo numero Canonicos interesse choro, ut vix, aut ne vix quidem satisfaciant: propterea expediens visum est provideri, prout decernimus, eos dumtaxat Capitulares infirmos pro praesentibus habendos, qui aegritudine durante e domo nullo pacto egrediantur: vel quibus post acutum, ut ajunt morbum, mutandum sit cœlum, in quo aegrotarunt; praevia tamen permissione scripta totius capituli. Si autem ab hujus civitatis territorio illum, prout alios, egredi oporteat, non fiat sine nostra licentia.

213. Ad œconomiam capitularem quod spectat, ad dissensiones, querelas, et scandala averruncanda, præcipimus 1.° Priores singulis Capellis Ecclesiasticis quotannis constitui a Procuratore Capituli prorsus diversos: 2.° Cuilibet eorum, elapso anno, suae gestionis rationem irremisibiliter reddendam. Procuratorem nempe Capituli Capitulo; Priores vero Capellarum Ecclesiasticarum Sanctissimi Sacramenti Nostrae Cathedralis, S. Rochi, et Mariæ Reginae, Nostrae Curiae Episcopali in fine anni, aut alio tempore cum opus fuerit, servata forma Capitularium. 3.° In tales eligantur, qui juxta Canones idonei sint, ita ut eligi omnino non possint, qui prius rationes non dederint, et liberationem in scriptis nondum fuerint assecuti, aut debitores adhuc sint; nec Priores confirmari sine licentia Episcopi. Reliqua in Capitularibus statuta penitus approbamus.

214. Horarium servandum mandamus, prout consuetudo actualis praesefert; attamen ad preces tum Capituli, tum reliquorum de Clero, ut populi etiam spirituali bono magis consulatur, excipiendis scilicet ante recitationem divini officii confessionibus fidelium, matutinis horis ad pietatis opera concurrentium, statuimus, ut a Kalendis mensis Maji, ad Septembris, matutini signum detur hora duodecima Italiae. Vespera vero sonus fiat per totum annum hora vicesima cum dimidio.

215. *Omnia secundum ordinem fiant*, ait Apostolus; hinc ne confusioni, vel excusationibus aditus aperiatur, caeremoniarum magister per omne Sabbatum tabellam officialium in sacrario suspendat cum nominibus Capitularium, qui proxima futura hebdomada cantui, vel adsistentiae nostris praesertim Pontificalibus teneantur. Praecipimus praeterea ut ei in iis, quae spectant ad officium suum, sine contradictione omnes obediant; qui secus fecerit secundum consuetudinem punctetur (*scilicet, ac si abesset*); prout statuitur in Concilio Provinciali an. 1656 (364).

216. E praecipuis Capituli muneribus est *Episcopo celebranti*, *aut alia Pontificialia exercenti*, *adsistere et inservire* (365); nec non processionibus, sive ordinariis, sive indictis interesse; Cumque illud plerumque impleatur, quod Ivo Carnutensis ajebat; *ut ad quae panis interni dulcedo non movebat*, *panis corporei refectio provocaret* (366); Ideo e re visum, prout praesenti decreto statui-

(364) Con. Prov. XIII. Tit. XXVI. num. 16. p. 438.
(365) Trident. Sess. XXIV. Cap. XII. *de Reformatione* ed. cit. pag. 281.
(366) Ivo Carnot. Epist. 219 ad Paschal. apud Van-Espen de Instit. et Offic. Canonic. Cap. IV. §. 2. pars. II. Lovanii 1732 Tom. III. pag. 177.

mus, omnes, et singulas Dignitates, Canonicos, et Abbates, quibus nostrum constat Capitulum aeque ac Mansionarios in omnibus functionibus, Pontificalibus, et Processionibus, sive ordinariis, de jure scilicet vel consuetudine, sive indictis interesse debere, secus subjaceant puncturae, quam superius statuimus, ubi de Processionibus (367).

217. Quoniam vero non modicum missarum, etiam altaribus addictarum onus Capitularibus inest, nec parvo numero adhuc non celebratae supersunt, ideo Procuratori Capituli praecipimus, et mandamus sub pœna suspensionis, ac solvendi de proprio, ut quidquid de massa Communi, quacumque de causa distribui solet ab iis Capitularibus retineat, quorum elapsorum annorum obligationes in libris a Nostra Curia revisis adhuc impletæ non appareant; eamdemque summam in celebrationem earumdem missarum convertat; cujus rei testimonium non ultra suæ gestionis annum ad Nostram Curiam perferat.

218. Missarum vero onera in iis altaribus celebrentur, quibus sunt adsignata (368), et diebus statis; nec differatur earum celebratio a Canonicis, Abbatibus, et Mansionariis (*idem valeat pro omnibus etiam aliarum Ecclesiarum legatis*), et multo minus postponatur celebrationi Missarum manualium fortasse occurrentium, sub poena puncturæ duplicis ultra currentem, si non intererit.

219. Festis autem diebus Capitulares omnes sine nostra speciali, et justa de causa obtenta licentia, extra Cathedralem ne celebrent; secus ut absentes habeantur pro prima vice; recidivi duplici pariter punctatura mulctentur.

220. Pro populi commoditate, Missæ diebus festis de præcepto celebrentur successive (369), et singillatim ante coeptum chorum. Tempore vero chori non nisi de licentia Præfecti ad formam statuti. Officia divina non peragantur, nisi hora statuta, et saltem duabus candelis accensis.

221. Missa conventualis apud nos de consuetudine ab Ecclesiis etiam Receptitiis applicari solita pro benefactoribus, nulla prorsus exemptione obstante, non omittatur. Punctaturæ saltem ad finem anni computentur, et sine ulla collusione, vel condonatione, ad Tridentini præscripta (370), persolvantur; alias ex massa communi, vel ex aliis quibuscumque proventibus, Procurator, absentium ratam retineat, et præsentibus solvat; secus de proprio teneatur, eratque suspensione obnoxius.

222. Rubricæ ad præscripta etiam Cæremonialis Episcoporum adamussim serventur. Hinc anniversarium pro anima Episcopi proximi defuncti celebrabitur a Capitulo Cathedralis. Magister insuper Cæremoniarum in quavis Ecclesia Collegiali sit, qui saltem semel in hebdomada sacras rubricas per horæ dimidium explicet: reliquis modeste audientibus, vel etiam interrogantibus, Nosque, ubi opus fuerit consulant.

223. Capitularia negotia ad formam statutorum, mutua pace, et sine querela pertractentur. Conclusiones vero sub pœna suspensionis, statim describantur in libro resolutionum capitularium (371), apposite ad id conficiendum; ubi vero desit

---

(367) Part. I. cap. IV. num. 58.
(368) Bened. XIV. notif. 56. n. 14. vid. decreta S. Visit. an. 1819.
(369) Decretum S. Visitat. an. 1819.
(370) Trid. Sess. XXIV. cap. XII. *de Reformatione*.
(371) Decretum S. Visit. an. 1819.

intra mensem conficiatur; ne res, bona, et jura Capituli magis deperditum iri contingat.

224. Inventarium bonorum mobilium, stabiliumve, et jurium seu Capituli, seu præbendarum, seu Capellarum, (idem de omnibus Ecclesiarum Beneficiorumque Rectoribus præceptum intelligatur) cum finibus, et conditionibus rerum non semel a Nobis injunctum (372), præsenti decreto sub eadem poena intra tres menses cum effectu fieri a singulis beneficiatis, et procuratoribus Ecclesiarum omnium, ad instar methodi traditæ in appendice Concilii Romani (373); vel apud Gavantum (374) statuimus.

225. Hujus inventarii duo exemplaria conficiantur authentica, alterum in Archivo nostro Episcopali, alterum in Archivo Ecclesiæ vel dum hoc conficiatur pænes ipsum Rectorem cum cæteris titulis, libris, et documentis servandum. Hoc autem inventarium decimo quoque anno renovetur. Si autem intra annum statum beneficii mutari contingat, id Rectores adnotare curabunt; quod an fideliter peractum sit in S. Visitatione nobis disquirendum servamus; quapropter illud in prima S. Visitatione dignoscendum exhibeant.

CAPUT IV.

DE VENERABILI SEMINARIO.

226. *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua*, ait Propheta (375). Hac certe ratione ducti majores nostri, ducibus Romanis Pontificibus, atque sanctissimis Episcopis, juniores Clericos in uno conclavi juxta Ecclesiam sub Episcopi cura collectos, a probatissimo seniore in Ecclesiasticis disciplinis institutos voluerunt atque imbuendos curarunt (376). Ita sane Eugenius II statuit in Synodo Romana anni 826. 15. Novembris (377), cui praeerat Toletanum IV. anno 634. Augustinus autem palam professus est, *se nullum ordinare clericum, nisi qui secum vellet manere, ut si vellet discedere a proposito, recte illi tolleret clericatum.* Quo ferme recidunt Prædecessorum Nostrorum Synodales Constitutiones (378).

227. Cum itaque, Deo annuente, existat in hac nostra Civitate satis amplum Seminarium jamdudum ab anno 1679 die tertia mensis Januarii a Sanctae Memoriae Felice de Matta Praedecessore Nostro ad formam S. C. T. canonice erectum, prout ex Bulla erectionis dignoscitur, suis reditibus instructum, Regulisque nostris hactenus salubriter, Deo opitulante, directum, hinc easdem regulas approbantes, et confirmantes, ab iis, ad quos spectat servari, respective in Domino praecipimus et commendamus.

---

(372) Edictum S. Visit. an. 1819 art. 2.
(373) Append. ad Conc. Rom. X. pag. 246.
(374) *Manual. Episcop.* par. II. in fine. *Trattato della Visita Pastorale* Neap. 1687. pag. 99.
(375) Thren. III. 27.
(376) Ap. Nat. ab Alex. saec. IX. cap. 1. art. 4. Tom VII. p. 4.
(377) Conc. Tolet. IV. an. DCXXIV. cap. III. ar. 4. ap. Natal. ab Alex. saec. VII. Tom. IV. p. 553.
(378) VIIII *Synod. Eccl. S. Severi II.* de Matta cap. 21. Syn. I. Summant. cap. 17. p. 58, et Syn. II. Cap. 12.

228. Convictores propterea subsint correctioni Rectoris, ejusque hortamenta, monita, et Cathecheses vel maxima animi demissione, nec auditores obliviosi, sed factores operis audiant; magistros vereantur, statasque lectiones ex asse, magnaque alacritate ediscant, et conferant. Magistri autem solertissimi sint, ut lectiones in regulis nostris praestitutas, ad horarium diligentissime compleant; eo tamen ordine, atque diligentia, quam puerulis exhibendam D. Ambrosii eloquentia edocemur: *Si puerulum literis imbuas, a singulis literarum elementis inchoandum est tibi, ut a singulis apicibus ad syllabas, a syllabis eum per ordinem ad nomina orationemque deducas: secus, cum partem non potuerit sustinere*, ut ratiocinatur idem S. Doctor, *quomodo perfectionem servare posset* (379)?

229. Regulas bis in mense in Refectorio legendas, docili auscultent animo atque alta mente repositas habeant, parati earumdem rationem reddere superiori expostulanti. Cathedrali Ecclesiae diebus festis pro more, maxima cum reverentia, et modestia assistant. In Processionibus, super omnes alios Clericos tam in Sacris quam in minoribus ordinibus constitutos, locum habeant. Sine Nostro speciali permissu ad nullas alias functiones accedant extra Cathedralem Ecclesiam, nisi ubi totum illius Capitulum se conferat (380).

230. Alumnis, et convictoribus extra Seminarium, absque nostra expressa licentia pernoctare non liceat. Baccanalium Paschaliumve feriarum tempore eisdem sine nostra expressa licentia domum redire prohibemus sub poena expulsionis a Seminario. Autumnalibus dumtaxat feriis id eis interim concedatur, donec media obtineantur ac comparentur ad hoc ut seminarium numquam claudatur; prout ad sacrorum canonum, sedisque Apostolicae mentem maxime nobis in votis est.

231. Procurator vero sacri Seminarii convictores non recipiat, nisi facta solutione primi semestris: et antequam incipiat secundum instet pro praevla solutione ejusdem, alias teneatur de proprio. Vix dilapso anno, clausoque, ut solet, autumnali tempore seminario, intra dies octo rationes coram deputatis reddat, duobus rationalibus a Nobis specialiter deputandis, atque liberationem obtineat; secus interdictum ei sit novi anni administrationem suscipere vel prosequi.

232. Invigilet Rector, et Deputati pro recta administratione redituum Seminarii, et signanter pro finali quotannis computorum redditione, ac, prout in more nunc positum est, frequentiores Congregationes super iis coram Nobis habeantur.

233. Claustris Seminarii, nisi per janitorem, aditus nemini pateat. Introeuntium statim certior fiat Rector, nec litterae eo inconsulto accipiantur, vel mittantur. Nullus e convictoribus egrediatur, nisi justis, probatisque de causis, ejusdemque licentia; praefinito autem tempore redeat; alias non recipiatur absque nostra licentia, sine qua nulli in Seminario pernoctare liceat.

234. Feriarum tempore, qui e Seminario egrediuntur sine duce, et custode ne sint. Vicariorum Foraneorum, et Parochorum erit super alumnorum extra Seminarium degentium vita, et conversatione invigilare. (381) Hi ea omnia ab his facienda curent, quæ pro Clericis extra degentibus nostra edicta præcipiunt, ut superius indigitavimus. (382) Juratum de singulis eorum officiis testimonium nobis tradant, vel mittant IV. idus Octobris ad summum, quod Enciclycis nostris in dimissione Seminarii expediri consuetis apprime respondeat, ut sic morbidas pecudes a sanis secernentes integrum ovile servemus.

(379) D. Ambr. *de Abraham. Patriarcha* lib. I. Cap. IV. Paris 1549. pag. 276.
(380) Synod. Malta cit. Cap. 21.
(381) Ex num. 168.
(382) Edict. 24 Augusti 1819.

CAPUT V.

DE ECCLESIIS RECEPTITIIS.

235. Chorus, et Cura plerumque Receptitiarum Ecclesiarum, et præcipue nostrarum conditionem constituunt. De Choro, et Ecclesiarum servitio, missarumque celebratione, et ordine eadem propemodum eisdem indicimus, quæ de Canonicis huc usque digessimus: quod nedum Sacris Canonibus statum, verum etiam Regalium Ordinum sanctionibus firmatum. (383).

236. Cum pro recto ordine, oeconomia, et regimine ejusmodi Ecclesiarum, etiam in vim dictarum Instructionum Art. V., et VI. *Regulæ* ab Episcopo aptandæ sint, auditis Cleris; cumque nostris mandatis ad has communibus studiis efformandis, Cleri nondum paruerint, alius mensis spatium eisdem præfinimus, ut pro earum confectione apud Nos intersint; vel omnia deducant, quæ ad easdem redigendas deducenda putabunt: quo termino elapso per nos conficientur, et sublimiorum Potestatum approbationi subjicientur.

237. Quoad bona in inventario Nobis infra bimestre exhibendo describenda, quae superius (384) edicta sunt, Receptitiis pariter aptamus. Laudabilem Capituli methodum divina officia persolvendi pro tessera inferioribus Ecclesiis proponimus, quibus, cum major in iis gravitas, ac diligentia desideretur, illud Bernardi monitum volumus commemoratum » *Psalmodiam non nimium protrahamus, sed rotunda, et viva voce cantemus. Medium, et finem versus simul intonemus, et simul dimittamus. Punctum nullus teneat, sed statim dimittat. Post medium bonam pausam faciamus. Nullus ante alios incipere, et nimis currere praesumat, aut post alios pneuma trahere; vel punctum tenere. Simul cantemus, simul pausemus, semper auscultando. Quicumque incipit antiphonam, aut psalmum, hymnum, responsorium, alleluja, unam, aut duas partes solus dicat, aliis tacentibus: et ab eo loco, quo ille dimittit, alii incipiant, non repetentes quod ille jam dixit. Monemus vos dilectissimi, ut sicut reverenter, ita et alacriter Domino assistatis, non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non praecidentes verba dimidia; non integra transilientes, non fractis, et remissis vocibus, muliebra quiddam de nare sonantes, sed virili sonitu, et affectu voces Sancti Spiritus depromentes.* (385). »

238. Cum novissima Bulla *Impensa*, Regali decreto 7. Septembris ejusdem anni vallata, et Instructionibus sub die 19. Novembris 1822. nostrarum Ecclesiarum Partecipantium natura, ad conditionem Eccclesiarum numeratarum, et residentialium, et coadjutricium animarum reducta noscatur; cumque solemnis in hacmet Pontificia constitutione forma præscripta sit, ad quam hujusmodi Ecclesiarum Loci, seu portiones, vel potius sacrarum Ordinationum tituli adnumerari, et conferri debeant; hinc hujusmodi nomocanonicis praescriptionibus omnino standum hoc Synodali decreto mandamus easque in calce Sinodi edendas curamus.

239. Proinde hujusmodi Participationis loci, seu tituli, nonnisi ab Ordinario provideri poterunt, praevio tamen examine coram Episcopo, ejusve Generali Vicario,

---

(383) Ex num. 208. et seqq.
(384) Vid. supra n. 224 et seq.
(385) S. Bern. Epist. 312; et Serm. in Cantic. 47 n 8. V. etiam Card. Bona de divin. Psalmod. cap. 17. §. IV. V. ap. Vanesp. in 42. p 174.

et tribus saltem ex Synodalibus Examinatoribus. Eo autem rite peracto, cum Ordinarii sit pro sua fide, et integritate, quos digniores judicaverit, in vim dicti Brevis Apostolici eligere, electosque in possessionem immittere juris praestitutae portionis assequendae, adempta cuilibet facultate interponendi appellationem ad Metropolitanum, pro hac dumtaxat causa interdictam, non obstantibus quibuscumque, et signanter quavis firmitate alias roboratis Statutis, et Consuetudinibus; Apostolicam itaque hujusmodi normam in summam animarum utilitatem, et in sanctiorem earumdem Ecclesiarum cultum utique cessuram, tamquam unicam regulam, ac formam assequendi praedictas portiones, seu participationes Receptitiarum nostrae civitatis, et Dioeceseos Ecclesiarum, praesente decreto statuimus, et declaramus.

240. Quo autem determinato numero, quibusve conditionibus in singulis Ecclesiis portiones et tituli praedicti institui debeant, qua parte in praefatis Instructionibus constituitur, id pro stata, ac certa regula habendum volumus; qua vero parte in qualibet Ecclesia pro ratione redituum, animarum, aliarumque localium circumstantiarum adhuc statuendae remaneut in Nostris Ecclesiis sufficienti dote praeditis, nostrarum relationum sublimioribus Potestatibus expectetur exitus; ut ea quae ab iisdem statuta fuerint, exequutioni demandentur. » Quoniam vero inter has Synodales Constitutiones edendas, hujusmodi relationes nostrae ad exitum feliciter perductae sint, formaque, seu numerus, conditiones, reditusque portionum, seu titulorum Ecclesiarum participantium nostrae civitatis per nos praefinita, Regia approbatione munita sub die 24 Julii currentis anni 1824 ad nos pervenit; prout illam debitae executioni demandandam jam praecepimus, sic eamdem ad verbum Ministerialis Epistolae seu rescripti regii, heic pro coronide atque ad perpetuam rei memoriam adjiciendam censemus ».

241. Cum itaque residentialibus accenseantur Participantes, quemadmodum actualis quotidiani servitii, ita inviolabilis residentiae debito se obstrictos sciant; ac proinde, obtento per aliquem Participantium beneficio incompatibili in eadem Ecclesia vel extra, ipsius participatio ipso jure vacare censeatur.

242. Prono hinc veluti alveo fluit, Participantem, qui e sua Ecclesia abscesserit sine justa causa, et signanter sine permissione Episcopi, ultra tres menses, punitum iri ad formam dispositionum Tridentini Concilii, (386) quod propterea in hujusmodi absentes adamussim servatum volumus, prout reliqua Instructionum capita ad easdem receptitias pertinentia.

243. Cum denique in posterum pro titulis sacrarum Ordinationum hujusmodi portiones habendae sint, quicumque hoc Evangelico pane vel fruuntur, vel frui desiderant, ea pietate, doctrina, et prudentia se commendatos exhibeant oportet, ut delatis muneribus in Eidelium utilitatem, et animarum curæ adjutorium perfungendis idonei habeantur: Scientes, Nos pro rei gravitate studium omne adhibituros, ut ministri cujuscumque Ecclesiæ rationibus accomodati adsciscantur; qui et sui officii vices diligenter gerant, et instituendis populis, iisque in Cœli semita dirigendis opera, consilio, sollicitudine, ad verba, et jussa ipsius Pientissimi Pontificis, præsto sint.

244. Bonis denique earumdem Ecclesiarum servandis consulentes, vigore sacrorum Canonum, et Tridentini, omnem quamcumque alienationem, transactionem, cessionem, vel etiam ipothecam sub nullitatis pœna, et gravissimis excommunicationis, et suspensionis censuris ab Ecclesia non secus, ac cæteris residentialibus beneficiatis, rerumque Ecclesiarum administratoribus, Participantibus quoque prohibitam, hoc speciali decreto declaramus.

(386). Sess. XXIV. cap. XII. et Sess. XXII. cap. III.

CAP. VI.

DE VICARIIS FORANEIS.

245. Vicarios Foraneos instituens Ecclesiasticæ disciplinæ lumen, et parens S. Carolus in Concilio Mediolanensi, omnem eis demandavit provinciam, quæ olim Archipresbyteris, et Decanis ruralibus adscribebatur. Quolibet igitur mense cum Parochis consulentes, respectivæ regionis Ecclesiastica negotia inspiciebant. Parochiarum administrationem, animarum curam, Cleri disciplinam, an canonicæ concineret Sanctitati, sedulo dignoscebant. Synodalium statutorum, decretorumque S. Visitationis executionem omni studio procurabant; Episcopum vero de omnibus certiorem facere non desinebant.

246. Hæc igitur ipsis curæ sint. Speciatim vero cognoscant, qua decentia Sacramentum servetur; et an die, noctuque lampas accensa coram eo ardeat; an tabellæ missarum in Sacristiis pendeant; an animarum Rectores verbi Dei prædicationi, puerorum institutioni, sacramentorum administrationi, infirmorum adsistentiæ pro munere vacent; an Clerici suis muneribus implendis studeant, et Ecclesiis, quibus adscripti fuerint, inserviant, an vero incertis vagentur sedibus, an denique juxta nostra edicta omnibus pietatis exercitiis insistant.

247. Si peregrini advenerint Sacerdotes, sine litteris commendatitiis sui Ordinarii, eosdem ad Divina celebranda, ac sacramenta administranda Vicarii Foranei non admittant, nec a *Foraniæ* Ecclesiarum Rectoribus admitti patiantur. Quod si ultra tres dies ibi degerint, ad nos deferre non omittant (387).

248. Quæstores eleemosynarum, exceptis tertiariis regularibus, sua tamen obedientia per nostram Curiam revidenda, munitis, a Vicariis Foraneis, et Parochis non admittantur. Super Eremitis denique in propria Forania manentibus, aut diversantibus oculos sedulo injiciant, inspicientes, an de nostra licentia habitum deferant, an Oratoriis, Capellisve sint a nobis assignati, an singulis saltem Dominicis ad proprias Paræcias accedant, ut Christianam edoceantur doctrinam, an sacramenta, saltem semel in mense frequentent, an cum fœminis convivant, easve seorsim in Oratorio admittant; an de loco in locum pro lubitu transeant, et si in prædictorum aliquo peccare cognoverint, ad nos statim deferre non prætereant.

CAP. VII.

DE SANCTIMONIALIBUS, ET REGULARIBUS.

249. Quæ Christo se desponderunt, et a carnali concupiscentia recedentes, tam » carne, quam mente, se Deo voverint, consument opus suum magno pretio de» stinatum (388). Ita Cyprianus. Tanto bono procurando Sanctimoniales internis, externisque præsidiis muniantur necessum est. Solitudine itaque silentio, prece, sacramentorum frequentia, oratione mentali, Regularumque perfecta advertentia,

(387) Edict. sub die X. decemb. 1818. vid. supra num. 36.
(388) S. Cypr. de *Habit. Virg.* oper. Bremæ. 1690. pag. 94.

quoad vota præsertim, quibus tenentur adtrictæ, obsitæ; en quot veluti sæpibus, custodiuntur, quibus, si sedulo servaverint, Domino cooperante interius, Virginem sanctam corpore, et Spiritu advenienti sponso poterunt feliciter exhibere. Quod si in omnibus sacratis Virginibus verum, multo magis in nostris Monialibus locum habeat oportet, quae pervetustam, et spiritu Dei plenam (389) S. P. Benedicti regulam profitentur, atque omnimodæ jurisdictioni Episcopi subsunt, prout nostræ Synodi (390), et vetera monumenta testantur (391).

250. At quoniam, qui tangit picem inquinabitur ab ea, omni cura, et sollicitudine cavebunt virgines Christo dicatæ, ut a sæculi, cui renuntiarunt, fæce prorsus abstineant. Paupertatem, quam sunt professae, sectantes, nihil habere, vel possidere penes se inconsulta Abatissa, nihil donare, largiri, emere, aut vendere, licet ad usum proprium, audeant; nec alio quovis modo, sive per se, sive per alios, aut pro aliis negotiari. Quod si necessitas aliquid horum postulet, nos consulere teneantur; scientes ab eodem Sancto Episcopo, et Martyre » *illam divitem esse, quæ in Deo dives est, illam esse locupletem, quæ locuples in Christo est: bona illa esse, quæ sunt spiritualia, divina, cælestia, quæ nos ad Deum ducunt, quæ nobiscum apud Deum perpetua possessione permaneant.* »

251. Obedientiae satisfacient, si nulla renuat officium sibi injunctum, nulla ambiat sibi negatum; si Conversae cum omni humilitate opus suum adimpleant, quas superiores omni charitate prosequantur; si nec munuscula etiam, immo nec litteras, nisi de scientia, et licentia Abatissae mittant, vel accipiant; si juxta regulas statutis temporibus, ac diebus, apud ordinarium, extraordinariumque Confessarium, absque ulla negligentia, vel neglectu, confessiones sacramentales conficiant, ejusque nutu, se Angelico pane reficiant; si Adventus, Quadragesimae, Exercitiorumque tempore, *ab omni prorsus ad collocutoria accessu* se abstineant, quo facilius, feliciusque vocem cœlestis Sponsi audiant, cum Virgines suas precibus lectioni, meditationique vacantes invenerit.

252. Sanctae Virginitatis propositum tuto custodient, si ab omni libertate sermonis, oculorum, auriumque abhorreant; si cratibus nonnisi raro, et justa de causa Abatissae comperta, atque ab eadem probata, multoque minus januae accedant; si clausuram in omnibus servent; si vel ipsos in primo, et secundo gradu consanguineos raro admodum, nec nisi ex rationabili causa viderint, et alloquantur. Hinc clausurae janua nunquam aperiatur ad colloquendum, nisi de nostra licentia. Ibi enim non raro in libertate saecularium sermonum, » Cypriano ad- » monente, *contingit audire quod non decet, quod non licet dicere, observari:* » *Corpore licet virgo, ac mente permaneat, oculis, auribus, lingua minuit illa,* » *quod habebat.* »

253. Sanctimonialibus igitur praeservandis, nemini liceat, sine nostra in scriptis licentia (392) per Abatissam servanda, praesentibusque auscultatricibus, (393) loqui cum illis, aliisve personis in clausura degentibus sive verbis, sive gestis, sub pœnis contra violantes clausuram latis; praeter casum reservatum (394), quem in suo vigore relinquimus. Excipiuntur consanguinei, et affines in primo, et secundo gradu: Regularibus autem id prorsus interdicitur.

(389) *Vid. Præf. in* ***Regulam S. Bened.*** **Galland.** ***Vet.*** **PP. Bib. T.**
(390) *Synodus Matta* ann. 1682.
(391) *Acta S. Visit. Malaspinae* anni 1591.
(392) Synod. prima *Summantici* Cap. XVI. *de Monialibus* p. 54.
(393) Synod. Fortun. et Sum. ib.
(394) Synod. Sum. Cap. VII. p. 32. n. 3.

254. Cum vero aperiri januam Clausurae necessitas postulet, nonnisi Abatissae, vel Vicariae interventu id fiat, sub iisdem pœnis, adhibitisque cautelis, quae a regula, nostrisque edictis, et Sanctae Visitationis decretis praescribuntur; id tamen locum non habeat ante solis ortum, vel post occasum, dempto casu evidentis necessitatis. Meminerint majorum illarum, quae *ex Hetruria jam* a XVI. Sœculo Praedecessoris nostri Germanici Malaspinae ductu, *ad reformandas Apuliae Moniales huc missae sunt*, se esse progeniem (395). Quapropter cum ad crates praesertim, vel ad januam vocari contingat, alta mente revolvant aureum illud Liberii Summi Pontificis monitum in consecratione solemni Marcellinae Sororis divi Ambrosii: *Teritur Pudor, audacia emicat, risus subrepit, modestia solvitur, dum affectatur urbanitas: interroganti non respondere infantia, respondere fabula est. Quid dicendum est sacratae virgini; quae si amat, animo peccat, si amatur, et facto?* (396)

255. Ubi detur autem facultas colloquendi cum monialibus, omnes in Domino hortamur, ne mundana, aut inutilia, et multo magis obscoena, et indecora fabulari audeant. Abstineant pariter a cantionibus, profanisque ludis prope Monasterium, neque ex altiori loco eisdem ullo pacto scandalum praebeant.

256. Puellas, aliasve mulieres, seu educationis, seu ministerii causa vel praetextu, sine nostra praecedenti permissione rite concedenda, etiam ad breve tempus, admittere non praesumant, prout etiam nostro S. Visitationis decreto, (397) fusius est provisum.

257. Educandarum semestre stipendium in raepresentata, ac numerata pecunia persolvatur; secus ad suos sine alia declaratione dimittantur. Hae vero magistrae obtemperent, sacramenta frequentent, orationibus, virtutibus, bonisque operibus vacent; quod omnibus monialibus commune volumus: rebus autem monasterii Educandae ne se immisceant.

258. Omnes vitam communem feliciter restitutam, sanctique Patris Benedicti regulis, adeo consonam, ac commendatam, inviolabiliter vivant, ut suipsius simul, et communitatis bono salubrius consulant. Confessarius Monialium omnium sedulo excipiat confessiones, et pro cujusque fervore sacra Eucharistia refici curet; quod si aliquam minus obedientem experiatur, nobis referre non differat.

259. Puellae etiam in Orphanotrophio degentes, atque a saeculi contagione, et periculis fidelium charitate secretae, pietati simul ac laboribus consuetis, vel indictis accurate, et sine querela dent operam. Sacramenta saltem semel in mense frequentent, eo ordine, ut puellarum confessiones excipiantur successive: neque iterum una audiatur, quin reliquarum circulus sit expletus: Ut bene, pieque institutae, Deo adjuvante, optatam consequi metam in Domino mereantur. Provectiores junioribus instituendis, ad Superioris nutum, verbo et exemplo, diligentes se praebeant. Instituendis pariter civitatis puellulis ad Orphanotrophii Scholam concurrentibus, ut laudabiliter consuevit, Magistra ad hoc destinata sedulam navare operam non desinat.

260. Virgines demum, ac mulieres Deo devotae puellarum plerumque Magistrae, quae non sine laude, ac fructu easdem in timore Domini, et disciplinis suae aetatis, et sexus instruunt, pudice, et caste sine ulla fabula perseverent,

---

(395) Act. S. Visit. Malaspinae ann. 1591.
(396) *Orat. in Marcellin. Consecrat.* Vet. PP. Biblioth- T.V. edit. Galland. pag. 76. et seq.
(397) Decret. S. Visit. sub die 24 Iu. 1832 §. III. n. 16., et seq.

ita fortes, et stabiles praemium suae virginitatis, bonive propositi piaeque conversationis expectent.

261. Puellas in *Christiana doctrina Bellarmini*, ut superius indictum (398), omnes una methodo instituant; eisque exemplo sint bonorum operum » *Magna* » *enim vos merces monet*, ut cum Cypriano concludam, *praemium grande vir-* » *tutis munus maximum castitatis* » (399).

262. De regularibus pauca, quae nos respiciunt, subdamus. Quae intra claustra fiunt ad superiores suos remittentes, id unum monemus, atque hortamur, ut clausurae custodiendae, removendisque ab ejus claustris mulieribus, haud segniter invigilent. Extra claustra vero nemini dantes offensionem, sibi, ordinique suo honorem, Deo majorem gloriam, et fidelibus aedificationem conciliare studeant; ne ad Canonum Tridentinique praecepta (400) in declinantes, et transgressores procedendi locus sit.

263. Processionibus, quibus de jure, et consuetudine tenentur, nec non conferentiis casuum moralium intersint. Tam a celebrando in Ecclesia Sanctimonialium, quam a colloquendo cum iisdem sibi abstinendum meminerint (401).

264. Cum denique ad suscipiendos ordines a suis superioribus dimittantur, sciant ad illum Ordinarium esse dimittendos in cujus Dioecesi vere domicilium traxerunt; amota quavis fraudolenta de monasterio ad monasterium, cum aliquis fortasse ab Episcopo domicilii admissus non fuerit translocatione. Secus facientes a nobis ordines non obtinebunt. Obtinentes autem prius quoad scientiam, idoneum experimentum perhibebunt, prout etiam Regiis rescriptis, canonicis sanctionibus subventum est. (402)

CAP. VIII.

DE SACROSANCTIS ECCLESIIS.

265. *Domus Dei domus orationis est*, at non semel, nec raro contingit, quod Ecclesiae sponsi zelum, ac flagella provocent, qui in speluncam latronum Dei templum vertere audent.

266. Nos certe post quinquennale hujus Sedis Ministerium, quintum S. Visitationis curriculum obeuntes, generatim domus Dei decorem, atque Sanctitatem dilectam comperimus: quidquid vero Dei domui honorandae deesse novimus congruis decretis restituendum providimus, quorum quae nec hactenus tradita sunt, hoc etiam Synodali statuto intra sex menses executioni demandanda praecipimus.

267. Sigillatim vero sequentia statuimus, 1. ut Paraeciae nondum consacratae juxta Canones non ultra biennium consecrentur (403); cum scriptum sit: *Cave*

(398) Ex num. 24.
(399) S. Cyp. eodem libro.
(400) Sess. XXV. cap. XIIII. cum declarationibus Gallemart. in hoc caput. cit. ed. pag. 359. Videsis etiam hac de re nostram Opellulam cui titulus: *L' Autorità de' Vescovi sopra i Monaci Celestini* 1796. Cap. VI. num. 87 95.
(401) Ex n. 36. et 253.
(402) Ministeriale de' 15 Marzo 1823.
(403) De *Consecrat*. Dist. 1. Can. II. et Rom. Conc. Tit. XXV. Cap. I.

ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris; sed in eo, quem elegerit Dominus (404). 2. Intra chorum nullus omnino laicus admittatur. 3. Presbyterium non pateat, nisi Ecclesiasticis: quapropter tempore sacrarum functionum ejusdem cancelli claudantur, et ab Ecclesiae Rectore, vel æditio laici omnes ab eo prorsus arceantur. 4. Supellex sacra Ecclesiasticis dumtaxat officiis adhibeatur. 5. Ab una ad aliam Ecclesiam non transferatur sine nostra, vel Vicarii nostri Generalis licentia, nec in usum profanum adhibeatur. 6. Integra et munda semper habeatur, et fideliter custodiatur. 7. Aqua lustralis, seu sancta singulis hebdomadis renovetur. 8. Æris campani sonitus ad profanos usus non convertatur, et ad extraordinarios, nonnisi de Nostra licentia poterit adhiberi.

268. Tabella Missarum prostet in cujusvis Ecclesiae Sacrario: in Cathedrali vero albus Clericorum a Nostro Vicario Generali subscriptus. Rectores, et Curati piorum onerum implemento vacent: quorum conscientiam oneramus; in casu vero negligentiae pro opportunis remediis Nos faciant certiores.

269. *Domum Dei decet* praeterea *sanctitudo*; hinc fideles ea animi devotione, et reverentia, ac silentio ecclesias adeant, qua thronum gratiae se adiisse noscantur. Absint propterea ab ecclesiae foribus, atriis, gradibusque venalia, dissidia, nundinae, scenicae repraesentationes, clamores, et fastidiosae cantiones, quae fideles a sacrificio Dei avertunt. Juxta Provincialium, et Dioecesanarum synodorum constitutiones, (405) absint ab ecclesiarum Paraecialium viciniis meretrices *aliique* notorii, ac publici peccatores, qui divinam potius indignationem exacuunt, cum misericordiae thesauros in ecclesia aperiat.

270. Optimum, optandumque foret, si viri a mulieribus seorsim in ecclesia se haberent, prout Majorum nostrorum moribus valde consentaneum est, atque in Beneventana Dioecesi in viridi est observantia (406). Quo meliori tamen modo poterint, Parochi, ecclesiarumque Rectores curabunt, ut mares a foeminis distent, ac secernantur.

271. Puellos, et puellulas, sacrarum functionum gravitati, et silentio plerumque adversas, ad ecclesiam matres-familias non deferant. Arma, aut ruralia instrumenta in ecclesiis non inferantur; nec exinde cadavera sine Nostra permissione extrahantur, quod ecclesiarum immunitati absonum, nedum sacris Canonibus, verum etiam nuperis Regiis litteris vetitum.

272. Ad vitanda scandala post signum salutationis Angelicae, vigesimaquarta scilicet hora diei expleta, ecclesiae fores claudantur, nec aperiantur, nisi albescente aurora (407).

273. Bona pariter ecclesiae divino cultui mancipata, semelque Deo dicata, nulla ratione usurpentur, distrahantur, vel alienentur, sub poenis per canones inflictis (408), et a Tridentino renovatis (409).

274. Eadem administrentur fideliter, nec ad alium usum convertantur, nisi ad quem ab initio destinata fuerunt; praecipue tamen ad onerum missarum satis-

(404) Deut. XII. 13.
(405) Conc. Prov. XIII. Tit. XXXVII. n. 5 p. 469.
(406) Vid. Baron. ann. Ch. 45. n. XXVI. T. I. pag. 326.
(407) Consulenda hac de re nostra Synodus Marsicana Part. III. cap. VII. et signanter n. 281 et seq.
(408) Cap. V. et VI. *De Rebus Eccl. non alienandis* - Extrav.
(409) Sess. XXII. cap. XI.

factionem, Dei ministrorum alimoniam, aedium sacrarum reparationem, et conservationem, servitii Divini exercitium, et pauperum subsidium applicentur. *Amico quidquam rapere furtum est, Ecclesiam fraudare sacrilegium est*, ait Hieronymus (410); Tridentinus subdit: bona Ecclesiae occupantes nedum censuris gravissimis, et poenis ecclesiasticis obnoxios esse, verum etiam, nisi prius facta restitutione, neque ab ipsa Apostolica Sede absolutionem impetraturos. Inventarium, et libros missarum, quod attinet, eadem pro singulis ecclesiis decreta volumus, quae superius demandavimus (411).

CAP. IX.

DE PIORUM LOCORUM ADMINISTRATIONE.

275. Cultui divino, christianis moribus, cæterisque pietatis operibus promovendis confraternitates, hospitalia, aliaque pia loca primario instituta, nemo unus inficiabitur. Nil tamen prae temporum pravitate tam neglectum, prout iteratis nostrae S. Visitationis curriculis oculis nostris conspeximus, nostrisque decretis corrigere non praetermisimus, quam spiritualia exercitia, et pietatis opera, ad quae eadem instituta fuisse noscuntur.

276. Enixe igitur, et in visceribus Jesu Christi Praesides, Praefectos, et maxime Capellanos eorumdem obsecramus, eisque in nomine sanctae obedientiae praecipimus, ut regulas a Nostris Praedecessoribus traditas, consuetudine firmatas, tantaque sedulitate a majoribus servatas, a nobisque recognitas, omni studio adimplere satagant.

277. Signanter vero Sacramenta frequentent, Congregationi statis diebus intersint, processionibus de rubrica, vel indictis ab Ordinario cum omni modestia numerosiores accedant. Confratres ipsi potius quam eorum filii, vel parvuli ut plurimum leves, et immodesti, reverentius id agant. Exequias defunctorum confratrum comitentur, salvis Parochi juribus; præsertim vero pauperum cadaveribus associandis, decenterque tumulandis omnem exerceant charitatem.

278. Bona, reditusque pro redemptione animæ iis a fundatorum, fideliumque devotione adsignata fuisse, vel ipsa, quæ supersunt, erectionum monumenta perhibent: Luminaribus propterea, ministrisque spiritualibus alendis, defunctorum animabus juvandis, piisque oneribus implendis impendantur. Sine hujusmodi enim dote, his usibus applicanda, cujusvis Ecclesiæ oratorii, capellæ, vel altaris erectionem canones non patiuntur.

279. Conquerendum nihilominus superest, quod et in ipsis nostris S. Visitationibus abunde novimus, piorum locorum bona, redituumque hujusmodi usum, plerumque inversum. Hinc non raro fines invasi, arbores cæsæ, supellex distracta, oratoria dilapsa, vel certe squallida aut fatiscentia, onera non adimpleta, mensque fundatorum fraudata, non sine fidelium scandalo, et pauperum querimoniis.

280. Cum itaque Trid. decretis, *etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegati, Episcopi* loca hujusmodi *visitandi* jus *habeant*, *quomodocumque nuncupentur*,

(410) Cit. Ep. XXXIV. *ad Nepotian.* T. IV. Part. II. col. 265.
(411) Ex num. 38 et 221.

etiamsi prædictorum locorum cura ad Laicos pertineat, atque exemptionis privilegio sint munita, ut omnia quae ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio, juxta Sacrorum Canonum statuta, cognoscant, et exequantur: non obstantibus, quacumque consuetudine, etiam immemorabili privilegio, aut statuto (412): propterea eorumdem indemnitati caventes, sequentia edicimus.

281. Quoad locorum ecclesiasticorum cujuscumque nominis, *inventarium*, rationum redditionem, bonorum, juriumve fidelem custodiam, atque administrationem, quæ de Capitulo Cathedralis decrevimus (413), his pariter servanda mandamus.

282. Quoad laicalia vero, ea observanda statuimus, quæ in earundem S. Visitatione decrevimus, sacrorum Canonum rigorem in alienantes bona ecclesiæ, et Regalium ordinum sanctiones (414), iisdem commemorantes.

283. Sollemnitates, et festa Dei cultui, animarumque bono, spiritualibus exercitiis, pietatisque operibus augendo instituta, ne in profanas Neomenias atque orgia vertantur: sodalitatum vero reditus divino cultui, ab origine adsignatos, Confratres ne in usus extraneos impendant. Abusum igitur nimis vulgatum obventiones, eleemosynas, vel ipsos reditus » Confraternitatum insumendi in decursio» nes, epulas, braviorum sumptus, tormentorum explosiones, similesve tumul» tuosas functiones, non sine scandalo plerumque, et periculo fidelium » edicto Synodi Provincialis XIV vetitum, et nos prohibemus (415).

CAPUT X.

DE MENSA EPISCOPALI, ET DECIMIS.

284. Veterem *Civitatis* Cathedram Episcopalem die 20 Februarii anni 1581 a Gregorio XIII. ad Ecclesiam *S. Mariae Sancti Severi* cum juribus, et privilegiis, reditibus, decimis, et cujuscumque generis proventibus, translatam; atque insimul hujus Nostræ Ecclesiæ, Mensæque Episcopalis erectionem, ac dotationem eodem Pontificio diplomate canonice constitutam laudabili stataque consuetudine ipsiusque Bullæ tenore dignoscitur (416). Hisce titulis auctos Prædecessores Nostros eorumdem jurium, redituumque pacifica possessione functos, præter cætera monumenta, nona Synodus Ecclesiæ S. Severi, quæ est tertia Felicis de Matta 15. Augusti 1681 paucis, quæ hic etiam memoriæ gratia subjicienda volumus, testatur.

285. » *Episcopus habet totalem jurisdictionem in personas Ecclesiasticas,* » *et solus, sine adjunctis, procedit etiam contra Canonicos, Dignitates, et* » *Capitulum.*

286. » *Exigit quartam omnium decimarum personalium, et realium, tri-* » *tici, hordei, musti, et fabarum, nec non quartam funeralium tam de cera,* » *quam de pecuniis ab omnibus Ecclesiis, Cathedrali, et Parochialibus Ci-* » *vitatis, excepta Ecclesia S. Joannis, quæ, loco decimarum, singulis annis* » *solvit septuaginta duos tumulos tritici ad contentamentum Episcopi.*

---

(412) Sess. XXII. Cap. VIII. cum declarationibus Gallem. cit. d. pag. 170.
(413) Ex num. 224. et seq.
(414) Circul. ann. 1797.
(415) Conc. Prov. XIV. an. 1693. Tit. XXXI. cap. V. pag. 540.
(416) Vide infra in Episcoporum syllabo, et signanter in *Alciato*.

287. » *Medietatem item decimarum tritici, et hordei a Clero Turris Ma-*
» *joris, et pro decimis personalibus fabarum, et vini, triginta sex tumulos*
» *tritici singulis annis ad contentamentum ipsius Episcopi.*

288. » *Omnes pariter decimas tritici, et hordei Terrae Sancti Paulli ad*
» *rationem semitumuli pro versura.*

289. » *Necnon unum starium olei a singulis molendinis, omnibus annis,*
» *quibus aperiuntur, et olivas maciuant.*

290. » *Exigit item singulis annis quinquaginta scuta ab Excellentissima Domo*
» *D. Principis S. Severi pro decimis Concordatis cum assensu Apostolico; et*
» *quindecim scuta a Dohana Foviae pro territorio S. Justæ; habet insuper E-*
» *piscopus quartam omnium Piorum legatorum sine onere, vel etiam cum one-*
» *re, quando sit minimum, seu impositum tantum ad fraudandam Mensam*
» *Episcopalem.*

291. Super decimis autem tritici, et hordei Terræ Sancti Paulli id præterea heic memoriæ tradendum dicimus, easdem nempe temporum nequitia plurimum deminutas, ac ferme in periculum deductas, a nostro ad hanc Episcopalem sedem adventu repetitas, atque pro virili per Nos fuisse vindicatas (417). Nunc tandem nec nisi post diuturnam, dispendiosamque litem, tam cum particularibus colonis dicti agri, civibusque, quam cum Communi ejusdem Oppidi, duplici decreto conformi, altero a Tribunali Civili hujus Provinciæ Luceriæ, sub die 11. Februarii 1820., altero a *Magna Curia Civili*, seu Tribunali appellationis Neapoli sub die 24. Februarii currentis anni 1823., Mensæ Episcopali adsertas, atque conservatas fuisse, Domino opitulante, lætamur (418).

292. Quoad scuta, seu ducata quindecima Dohana Foveæ, pro territorio vulgo *Posta S. Justæ et ficuretæ*, eidem mensæ quotannis debita, atque inter exactas præteriti decennii calamitates sublata, silentio prætereundum non est, eadem nobis suppliciter instantibus, ab Indulgentissimo Rege ob peculiares circumstantias a Nobis expositas, quas dignas particulari sua consideratione se invenisse fatetur, ex speciali gratia eidem Mensæ fuisse restituta. Hinc ipsa in jure et possessione exigendi eadem ducata quindecim, non detractis oneribus, Regali decreto 9. Martii 1819, ab eo tempore redintegrata dignoscitur (419).

293. Super quarta autem decimarum civitatis ad quater centum ab omni prorsus onere, etiam per factum principis speciali pacto exempta, a Prædecessore Nostro D. *Gajetano del Muscio*, post tot discrimina rerum, cum Universitate transacta fuisse die 27. Novembris 1802, publico instrumento docemur (420). De reliquis autem Decimis superfluum putamus sermonem intexere, cum ea, quæ super his in Civitate evenerint, nemo unus ignoret: nec quemquam fugiant, quæ de his Canones (421), et Tridentinum (422) decernant. Quae vero in diuturna hujus sedis viduitate eidem detrimento fuerint, sensim restitui curentur.

---

(417) Extat hac de re Consultatio Regalis Cameræ S. Clarae sub die Maii 1777. et conformis Regis definitiva resolutio die 8. augusti 1788. Vide infra syllabum in Episcopo *Serao*.

(418) Nec praetereundum, quod post Synodum celebratam cum recursum ad *supremum Tribunal Justitiae* S. Pauli Commune habuisset, adversus hancmet in gradu appellationis sententiam, ab eodem Magistratu supremo *rejecto Recursu*, perpetuo adversariis silentio indicto, Episcopalis Mensae dos haec iterum iterumque est, firmissime adserta.

(419) Videatur legum Nostrarum Collectio, ann. 1819. Semestr. 1. num. 1525. pag. 153.

(420) Extr. in Archivo Episcop. huius exemplar.

(421) Con. Prov. XIII Tit. IV. p. 505.

(422) Sess. XXV. *de Reformat.* C. XII.

294 Præterea huic antiquæ nostræ Cathedræ Episcopalis doti, non parum temporum injuria diminutæ, Nobis etiam non leviter, neque obiter adnitentibus, in vim Articuli IV. Concordati nova accessit superdotatio. Ab Executoribus ipsius Concordati sub die decima tertia Decembris anni 1819 titulos biscentum octoginta sex ditata, supplementum aliquod dotis obtinuit. Constat id ex Epistola quondam Eminentissimi Cardinalis Caracciolo ex parte Summi Pontificis, et Marchionis Thommasi ex parte Nostra inclyti Regis Executorum Concordati, num. 619. Neapoli 13 Decembris 1819; cui *platea* generalis subjecta est omnium tum veterum, tum recentium ipsius Mensæ redituum, eorumdem manu, eodem die, mense, et anno signata, quæ omnia in nostro Archivo asservantur. Scitu tamen haud indignum, quod, cum præcipua hujus superdotationis capita, seu reditus litigiosa comperta sint, eisdem vindicandis non parum studii, operis atque expensarum insumpsimus, Ecclesiæ, successorumque securitati ac bono.

CAPUT XI.

DE EXEQUIIS, SEPULTURIS, ET COEMETERIIS.

295. Sepulturæ apud omnes vetustiores gentes consuetudo accuratissima, per variosque sepelliendi ritus, (423) ideam, ac spem futuræ resurrectionis præseferens; longe meliori ratione apud Ecclesiam obtinuit, quæ adversus gentium, impiorumque deliramenta hoc consolanti dogmate gloriatur: *Non ut creditis*, sic ore Minucii Felicis, inter ipsas persecutionum procellas, suam fidem testabatur (424), *ullum damnum sepulturae credimus, sed ut veterem, et meliorem consuetudinem humandi frequentamus . . . . Expectandum nobis etiam Corporis ver etc.* Ad altaria olim tumulari religioni fuit fidelibus; penes sepulcra Martyrum, et memorias Sanctorum, pium, et salutare creditum, ut eorum scilicet meritis adjuvarentur, quorum sacris exuviis adquiescerent: licet id alicubi minus acceptum, *ne fœtore ipso scilicet, corpora viventium contacta inficerentur* (425); ideoque in cœmeteriis extra Ecclesiam sepeliendi mos alibi invaluit.

296. Cum tamen pars Catholicae communionis sepultura Ecclesiastica sit, hinc sequitur I.° ea dignos non esse, neque ad hanc admittendos hæreticos, schismaticos, publice impoenitentes; item qui ut tales denunciati sint, quive suadente diabolo Clericum, vel Monachum percusserit, et nominatim interdicti, si nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerint; quibus vetant canonicae leges, sub pœna interdicti, dari Ecclesiasticam sepulturam, quod etiam pro Cœmeteriis nuperrimis Regiis Enciclycis IV. Nonas Martii 1820. est demandatum.

297. II. Quemlibet in ea Paræcia humandum, unde vivus Sacramenta percepit, sive civis, sive peregrinus sit, demptis iis, qui vel sepulturam elegerint (426), vel ad sepulcra majorum (427), quasi ex tacita sepulturae electione deferantur.

298. III. Semper cadaver ante elationem benedicendum, atque ad Ecclesiam associandum; ibique secundum locorum consuetudines, iusta sunt persolvenda.

---

(423) *Vide nostram hac de re* Enciclycam *sub die* 28. *Junii* 1820.
(424) *Minut. Felic* Octav. *n. II.*, et *XXXIV. Vet. PP. Biblioth. T.* 11. *pag.* 386. et 401.
(425) S. Isid. Hispal. Ep. *Orig.* lib. XV. cap. II. oper. Colon. 1617. pag. 132. col. 2 4.
(426) Cap. VII. X. de *Sepult.* et Cap. IV. eod. in VI.
(427) Cap. I. et 3 de Sepult. X. et Synod. Fortun. *de Funeribus*,

299. IV. Indignis sepulturae accensendi veri suicidae, qui scilicet sibi de industria, non vi morbi, aut insania, mortem consciverunt; qui Paschate sua peccata confiteri, et Eucharistiam sumere contumaciter detrectarunt; grassatores viarum, latronesve in crimine occisi; infantes decedentes non renati; et generatim notorii peccatores, qui, nullo dato contritionis signo, ex hac vita migrarunt (428).

300. Iis connumerantur monomachi, seu duellatores ex condicto, eisve ministerium, aut auxilium, consiliumve praebentes, aut etiam cooperantes: quos omnes excommunicationis, et perpetuae maledictionis vinculo teneri Concilia Lat. III. (429), et Trid. definiere (430). Ultimum vero supplicium *passis*, et poenitentibus sepultura non est neganda (431). Gravissimis demum poenis, patriis etiam legibus (432), Monomachos, eorumque complices obnoxios, Parochi admonere plebes suas non praetermittant.

301. Cum sancta, et salubris sit oratio pro defunctis, ut a peccatis solvantur, animarum Rectores statim a morte alicujus e suis filiis, solito aeris campani signo illam indicabunt: seduloque curabunt, 1.° ne inhumata detineantur eorum cadavera quovis praetextu, et signanter de conveniendis juribus: 2. Ne fiant exequiae ante solis ortum, vel post ejus occasum. 3. Ne in Ecclesia inferantur, dum Missa solemnis, et multo magis Pontificalis, aut concio habeatur, ne divina perturbentur officia: 4. Ut efferantur vel ab ipsis confratribus sacco, et habitu sodalitatis indutis: 5. Vel si de pauperibus agatur, a Vespillonibus pariter in saccis a Nobis confectis, quibus jam in civitate conventum de mercede a Priore S. Rochi, eisdem solvenda; ne ulterius detrectetur egenos, vel etiam peregrinos miserabiles sepelire. 6. Ne ploratus, et ejulatus, aut importuni clamores, vel sic dicta praeconia consanguineorum praesertim fiant, neque per viam, neque in Ecclesia: ideoque secreto, nec ultra viginti quatuor horas a morte, servatis servandis cadavera sepulturae tradantur.

302. Sacrorum Canonum statuta custodientes, prohibemus, ne sub quovis altari sepulturae adsint; imo positas hoc nostro decreto interdicimus, et reformari volumus, atque ad debitam ab altaris a suppedaneo distantiam non minus tribus cubitis (433) intra duos menses ossa, si quae ibi sint, transferri mandamus.

303. Lapides sepulchrorum, ubi oportuerit, etiam in vim decretorum S. Visitationis, in eodem termino de novo fiant. Novae non extruentur sepulturae, absque nostra permissione: Ecclesiae dedecori caventes, *Fortunati* decretum renovamus, ne quis scilicet Ecclesiae pavimento perfracto, avulsisve parietibus, defunctorum corpora sepelire praesumpserit, neque inscriptiones in quibuscumque Ecclesiis, sine nostra speciali in scriptis licentia, apponere audeat.

304. Expedit mares a fœminis, Laicos ab Ecclesiasticis, pueros ab adultis seorsim, ubi fieri poterit, tumulari; cæterum laudabiles consuetudines in suo vigore relinquimus.

305. Charitatis pariter, et decentiae est, ut decedente Episcopo, qui die, noctuque pro salute animarum totius Dioecesis invigilat, tamquam pro communi

(428) Conc. Prov. VI. Tit. XIV. cap. XIII pag. 197. cap XV. p. 198. Vid. et Nostram Synod. Marsic. 250.

(429) Innoc. III. cap. XII. de Sepult. X.

(430) Trid. Sess. XXV. Cap. XIX. de Reform.

(431) Causa XIII quaest 3. can. 30.

(432) Pragmat. 1. et 4. de *Duello* Tit. LXVIII. Neap. 1772. T. 1. pag. 468 et

(433) Crispin. *Visit. Pastoral.* Part. 1. pag. 7. n. 28.

patre, et psstore, Sacerdotes omnes missam pro ejusdem anima celebrent, et Clerici cuncti, seorsim, vel in communi, Officium Defunctorum recitent. Laicos autem animarum Rectores, ad aliquod pietatis opus pro defuncto exercendum commonere, et excitare non dedignentur.

306. De Græcis postremo heic degentibus sive sacramentorum collationem ejus respiciant, sive ultima Christianae pietatis officia, vel Ecclesiasticam sepulturam, Constitutionem Benedicti XIV. *Et si Pastoralis* (434), atque accuratissimas super omnia ejusdem Pontificis de *Italo Graecis* providentias, etiam attento Apostolici Nuntii a Nobis super hoc consulti rescripto sub die 7 Maii 1823 diligenter e Nostris Parrochis servandas esse praecipimus.

307. Ad omnem vero dubitationis aleam removendam, adhiberi insuper poterunt cautelae, quas Nostri Praedecessores, et signanter Germanicus Malaspina in decretis Sanctae Visitationis sub die 8. septembris 1591 in acta S. Visitationis Ecclesiae Parochialis *S. Pauli Graecorum* per suum Vicarium Generalem adhibendas decrevit, cujus exemplar in appendice II. traditur.

CAPUT XII.

DE EXAMINATORIBUS SYNODALIBUS.

308. Examinatores quotannis in Synodo Dioecesana ab Episcopo proponendi, et ab eadem probandi ad Tridentini decreta (435), et Provincialium (436) Constitutionum praecepta ii esse debent, quos vitae integritas, morum honestas, et litterarum scientia maxime commendent, quosque speratur, omni affectione deposita, susceptum munus recte curaturos. Qui examinis occasione nihil prorsus accipiant, nec etiam a sponte dantibus, neque ante, neque post examen; ne simoniaca labe infici, seque indignos tali munere haberi velint, qui nulla personarum acceptione, sed pro conscientia de approbatione, vel reprobatione deliberent, atque Episcopo referant; qui nec collegis examinandos commendent; sique aliquem instruant, examini postea ne intersint; multoque minus quaestiones illi antea communicent; nec ad examen accedant, nisi vocati ab Episcopo; uno verbo, qui sic officium exerceant, ut Benedicti XIV. Const. *Cum illud* (437) accuratissime servent, atque in omnibus se praebeant, ut dispensatores decet multiformis gratiae Dei; qui denique in ipsa Dioecesana Synodo coram Episcopo eorum munus, ut par est, se fideliter exerciturος super SS. Reliquiis jurent.

309. Harum dispositionum vigore ad hoc ministerium probe, ut in Domino confidimus exercendum, sequentes boni testimonii viros usque ad futuram Synodum duraturos, ad mentem dictorum Canonum proponimus, et nominamus, quos etiam ad Sancta Dei Evangelia jurare volumus, se injunctum munus fideliter, et integre executuros.

Sunt autem

---

(434) Constit. LVII. de Dogmat. et Ritib. ab Italo-Graecis tenendis atque servandis Bull. Bened. XIV. anno 1742. T. 1. pag. 75.
(435) Sess. XXIV. Cap. XVIII.
(436) Con. Prov. XII. 1599. tit. XLVII. cap. un. Synodic. p. 358.
(437) Const. 68 die 14. decembris 1742 *de Concurs.* Bullar. tom. 1. pag. 98, et seq.

IN CIVITATE.

Rmus I. U. D. D. Dominicus de Stefano Noster Vicarius Generalis.

Per Illustr., et adm. Revdus M. I. ac S. Theol. D. D. Severinus Turri Civitatis Sancti Severi Archidiaconus, et prima Dignitas Nostræ hujus Ecclesiæ Cathedralis.

Per Illustr. et adm. R.dus U. I. D. D. Antonius de Ambrosio Archip. ejusdem Cathedralis.

Per Ill. et adm. Rev. D. Franciscus Antonius Russi Primicerius ejusdem Cathedralis.

Per Ill. et adm. Rev: D. Joseph la Cecilia Can. Decanus ejusd. Cathed.

Per Ill. et adm. Rev. U. I. ac S Theol. D. D. Michael Ang. Padricelli Fractae Majoris in Campania, Can. Poenitentiarius ejusd. Cathed.

Per Ill. et adm. Rev. U. I. D. D. Antonius del Pozzo Canon. ejusdem Cathed.

Per Ill. et adm. Rev. D. Dominicus de Lisi Can. ejusd. Cathed.

Per Ill. et adm. Rev. U. I. D. D. Joannes Baptista Giaquinto Canonicus ejusd. Cathed.

Per Ill. et adm. Rev. S. Theol. D. D. Paschalis Masselli Can. ejusd. Cathed.

Per Ill. et adm. Rev. in Sacra Theol. licentiatus Can. Theologus hujus Cathed. D. Cajetanus de Lucretiis.

Adm. Rev. Abbas D. Vincentius Amicarelli ejusd. Cathed.

Adm. Rev. D. Franc. Paulus Florio Archip. S. Severini.

Adm. Rev. D. Steph. Catalani Archip. S. Nicolai.

Adm. Rev. U. I. ac Sac. Theol. D. D. Franc. de Ambrosio Archip. S. Joannis Baptistae.

Adm. Rev. Sacerd. D. Pellegrino Pellegrino Altavillae Beneventanae Dioeceseos hujus Nostri Seminarii Rector.

E REGULARIBUS.

Adm. Rev. P. Prov. F. Ioannes Maria a Fovea Ord. Capuc. Provincialis.

IN DIOECESI.

Adm. Rev. D. Fortunatus Colaneri Archip. S. Nicolai Turris Majoris.

Adm. Rev. D. Michael Colaneri Archip. S. Mariae Turris Majoris.

CAPUT XIII.

DE JUDICIBUS ALIISQUE SYNODALIBUS MINISTRIS.

310. Cum causae Ecclesiasticae, et praecipue Matrimoniales, quae juxta Canonum et Tridentini praescripta, ad Judices Ecclesiasticos pertinent, eorum sententia sint terminandae (438), cumque ex Constitutione Bonifacii VIII, quae incipit *Statutum* (439) a Tridentino firmata, idoneae sint in Dioecesanis Conciliis designandae personae, quibus hujusmodi causae spirituales, et ad forum ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandae tuto committi queant; Nos propterea haec debitae executioni demandare cupientes, sequentes Judices Synodales, deputamus, et eligimus.

Per Ill. et adm. Rev. U. I. D. D. Severinum Tura Archid., *et primam dignitatem Nostrae hujus Ecclesiae Cathed. Sancti Severi.*

Per Ill. et adm. Rev. U. I. D. D. Antonium de Ambrosio Archip. ejusdem Cathedralis.

Per Ill., et adm. Rev. D. Josephum la Cecilia Can. Dec. ejusd. Cath.

Per Ill., et adm. Rev. U. I. D. D. Michaelem Angelum Padricelli Frastae Majoris in Campania Can. Poenit. ejusd. Cathed.

Per Ill., et adm. Rev. D. Anton. del Pozzo Can. ejusd. Cathed.

Adm. Rev. D. Fortunatum Colaneri Archiep. Turris Majoris.

Deputavimus pariter a Secretis hujus Nostrae Synodi.

Per Ill., et adm. Rev. D. Cajetanum de Lucretiis in Sacra Theologia licentiatum Can. Theol. ejusd. Cathed.

Adm Rev. Mansion. ejusd. Cathed. D. Antonium Beatrice ejusdem Civitatis pro secretarium.

Adm. Rev. D. Julianum Sabba Oppidi S. Pauli inibi Nostr. Vicarium Foraneum pro-secretarium,

CAPUT XIV.

DE TESTIBUS SYNODALIBUS.

311. Lateranensis Concilii Generalis IV. Decreto praecipitur, testes Synodales seligi, quorum praecipue munus sit diligenter inquirere, et fideliter Episcopo referre (440) quidquid in Ecclesiis sibi commissis correptione, vel reformatione dignum occurrat, nec non Synodalium harumce constitutionum executioni diligenter invigilare. Morem his praescriptis facientes, testes Synodales pro hac Civitate, ac Dioecesi, praeter alios, quos nobis reservamus, eligimus Nostros Parochos, Vicarios Foraneos, et animarum Curatos. Hi igitur quidquid investigaverint, vel cognoverint nostra indigere auctoritate, ope, et industria, Nobis, vel Nostro Vica-

(438) Conc. art. XX.
(439) Cap. *Statut. de Rescriptis* in VI. Trid. Sess. XXV. Cap. X. de Reformat.
(440) Caus. 25. quaest. VI. Can. VII.

rio Generali deferre non negligant, ut utilitati et necessitatibus Ecclesiarum, Fideliumque hujus nostrae Dioecesis provide consulere valeamus. Quanta autem fidelitate, et sollicitudine sit id exercendum, ex Canonum praeceptis, post quartum Mediolanense Concilium, Benedictus XIV. exposuit (441).

CAPUT XV.

DE SYNODALIUM DECRETORUM OBSERVANTIA.

312. Postquam convenerunt Apostoli, et Seniores videre de usu Legalium, prolatumque ab eorum Concilio plenum imperii, et majestatis solemne illud judicium, quod Actus Apostolorum perhibent (442); Paulus Jerosolyma profectus *perambulabat Syriam, et Ciliciam, confirmans Ecclesias, praecipiens custodire praecepta Apostolorum, et Seniorum* (443).

313. Auditis, probatisque Constitutionibus tam salutaribus, communi pariter conquisitione collectis, id unum superest, si magnis licet componere parva, haud absimili docilitate, atque studio illis custodiendis vacare. Scriptum est enim; *quaecumque dixerint vobis, servate, et facite* (444), *in promptu habentes ulcisci omnem in obedientiam* (445).

314. Ne vero aliqua ignorantiae subeat excusatio, ad hujus Synodi statuta servanda, bimestre spatium a die publicationis eorum statuimus, ut inviolabiliter ab omnibus respective serventur, sub poenis per sacros canones, Synodales constitutiones, novissimum Concordatum, et Regiis quoque litteris in transgressores pronuntiatis.

315. Poenae autem, quibus pro transgressionum diversitate inobedientes, et multo magis contumaces subjicientur, sunt praesertim spiritualia exercitia, temporalis suspensio a celebratione Missae, ab excipiendis Confessionibus, ab omni denique Officio Sacerdotali (446): quibus parere omnino debeat Clericus, cui infligantur, antequam audiatur, ad formam S. Concilii Tridentini, et regiarum litterarum, quae fideliter observentur.

316. Quod si enunciatae canonicae medicinae suum non sortiantur effectum, detrusionis poena in arctum Monasterium stricte observantiae per tempus congruum, ad revocandos, retinendosve in officio indociles (447), aliaeque statutae a Sacro Tridentino Concilio, aut quas judicabimus opportunas, jure Concordati art. XX. adhibebuntur, non exclusa, ubi ratio postulet, aut necessitas cogat, *domo correptionis* pro Ecclesiasticis, quod Deus avertat, discolis, Statutorum Canonicorum contemptoribus, et contumacibus, juxta regios apices sub die VI. Julii 1819. Nos enim vehementer urget Basiliensis Concilii Apophtegma: *Taliter in delinquentes insurgat correptionis debitae disciplina, ut aliis malignari volentibus transeat in exemplum* (448).

---

(441) De Synod. Dioec. Lib. IV. cap. 3. tom. 1. p. 140.
(442) Act. Apost. XV. 28. et seq.
(443) Ibid. n. 41.
(444) Matth. XXIII. 3.
(445) Corinth. X. 6.
(446) Reg. lit. Circ. sub. die XX. Aug. 1797. art. 2. 4. 7. 18.
(447) Art. V.
(448) Conc. Basil. Sess. XXV. XXXIX. cit. loc. pag. 75.

317. In causis vero Ecclesiasticis, in quibus Ordine Canonico sit procedendum, nulla reclamatio, et recursus eximat imputandum ab obligatione se nostrae Curiae praesentandi, ubi adamussim serventur, quae a Sacris Canonibus, etiam quoad formam procedendi, sunt statuta.

318. Nostrae denique Cathedralis Capitulo, Cleris singulis Civitatis, et Dioecesis, et praesertim Parochis, Curatis, Coadjutoribus, et Confessariis signanter Monialium, Ecclesiarum, Nostrique Sacri Seminarii pro tempore Rectoribus, et aliis, quibus de jure, et consuetudine competit, praecipimus, ut harum constitutionum exemplar penes se retineant, et frequenter perlegant, easque animabus ab eorum ministerio dependentibus, *vernaculo* etiam, si oportuerit, idiomate, qua parte illas respiciant, saepius, ac sigillatim explicent. Rectori autem Venerabilis Seminarii, atque Conferentiae casuum Praefecto, aut a secretis mandamus, ut bis in mense aliquod caput ejusdem Synodi legant, quo magis ejusdem praescripta apud Clerum, et populum innotescant. Sic Domino cooperante fiat, ut quisque debitum suum agnoscens, illud alacriter exequi valeat; utque praepositis suis obtemperans, diligenter mandata servando, in vitam ingredi mereatur aeternam.

319. Quoniam vero excommunicationis gladius, non secus ac quaevis alia Censura, quamvis nervus sit Ecclesiasticae disciplinae, tamen, monente Tridentino (449), compertum est, si temere incutiatur, magis contemni, quam formidari, et perniciem potius parere, quam salutem; hinc animarum bono consulentes, *multisque cordatis viris exoptantibus* (450) morem facientes, decernimus censuras omnes latae Sententiae a nostris Antecessoribus, etiam in Synodis Dioecesanis inflictas, vel renovatas, vel a Nobis, si quae sint, qualitercumque illatas, ad censuras ferendae sententiae reducendas fore, et esse, prout praesenti decreto reducimus, exceptis illis dumtaxat, quae casibus reservatis in prima Tabella sunt adnexae; quas interim in suo statu relinquendas putamus, prout hoc nostro decreto relinquimus, nihil super illis innovantes.

320. Declaramus praeterea, hujusmodi reductionem fuisse ab Emo Archiepiscopo, nostrique Amantissimo Cardinali Spinucio a nobis consulto laudatam, et commendatam; qui Nobis insuper impertire dignatus est omnes facultates, quas ipse Metropolitanus habet interpetrandi provincialium Conciliorum statuta, in vim Cap....

Concil. Provinc. ad hoc ut de iisdem Nos ipsi, uteremur pro nostro arbitrio et conscientia. Nos vero ejusdem facultatibus utentes, praesenti decreto, eadem generatim, modo magis benigno, et favorabili, quo fieri possit, interpetranda fore, et esse, cum casus pro hac civitate et dioecesi, in quovis dubio contigerint, decernimus et declaramus.

---

(449) *Session.* XXV. *De Reform.* Cap. III.
(450) A lapide. In Cap. V. v. 13. Ep. *ad Galatas.*

CAPUT XVI.

SYNODI PARENETICON.

321. Nulla lex, ajebat Cato apud Livium (451) » satis omnibus commoda est; » id modo quaeritur, si majori parti, et in summam prodest: Si quod cuiquam » privatim officit, jus id desinat, ac demoliatur, quid attinebit universos rogare » leges, quas ii abrogare, in quos latae sunt, possint? »

322. Cum igitur tanta animi alacritate, tantoque consensu Synodalia hujusmodi scita, communibus studiis, vigiliisque edita, omnibus de Clero, et Populo, per triduum integrum tam solemniter collecto, maxime ut visa sunt utilia, communi quoque plausu recepta, atque probata sint; quid sane restat, vel ultra desiderandum superest, nisi ut communibus quoque suffragiis, promptoque animo, quaecumque hicic placuerunt, et statuta sunt, fratrum saluti, publico bono, Regis honorificentiae, Deique honori impleamus? Non solum itaque propter iram, sed etiam propter conscientiam, horum, sicut et omnium Canonum, praecepta servantes, eorum sigillatim capita populo etiam identidem explicare non desinamus. Exemplo simus illi bonorum operum, hujusmodi custodientes praecepta. Attendamus nobis, et gregi pro parte commisso, quasi rationem de animabus reddituri; non quae nostra, sed quae Jesu Christi sunt quaerentes, cui honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

JOANNES CAMILLUS EPISCOPUS SANCTI SEVERI.
CAJETANUS CAN. THEOLOGUS DE LUCRETIIS SEC.

(451) Tit. Liv. lib. XXXIV. Rom. cap. 3. an. U. C. 558. ad Usum Delfin. t. III. p. 152.

APPENDIX I.

SANCTI SEVERI, ET CIVITATIS ORIGINES ECCLESIASTICÆ; EORUMQUE EPISCOPORUM CENSUS.

» Edant origines Ecclesiarum suarum; Evolvant ordinem Episcoporum suorum, hoc enim modo Ecclesiae Apostolicae census suos deferunt. » Ajebat Tertullianus, (a) novitatis atque erroris Gnosticos sui aevi redarguens. Hoc nempe argumento vetustissimos Ecclesiae Patres Iraeneum scilicet, Dionysium, ac deinde Optatum, et Augustinum ad astruendam Apostolicarum Ecclesiarum veritatem osos comperimus. Nec alia certe mente, tanto studio, ac labore Majorum Ecclesiarum Antistites collegit, atque in ordinem redegit Eusebius, (b): *quod enim Ecclesiae Apostolicae docent ab Apostolis, quod Apostoli a Christo, quod Christus a Deo.* Hinc cedro dignum ejusdem Tertulliani consectarium: *Communicamus cum Ecclesiis Apostolicis, quod nulli doctrina diversa. Hoc est idoneum testimonium veritatis.* (c)

Perpetuam firmamque nostrae Severopolitanae Ecclesiae cum Petri Cathedra, et fide communionem testantur historiae, et sequentia docebunt. Inter tot tamen rerum discrimina, et obsoleta vetustatis silentia nostrarumque regionum, atque Ecclesiarum vicissitudines primos hujus Ecclesiae Episcopos, aut fundatores contingere, quis auspicabitur? Indubium illud est, quod de Italiae praesertim Episcopatibus ad Decentium Eugubinum Episcopum scribebat Innocentius: *Cum sit manifestum, ajebat, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, et Insulas inter jacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos Venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus Successores constituerint Sacerdotes.* (d)

Licet autem Romana Ecclesia totius orbis Romani Caput, *unde unitas Sacerdotalis exorta est* (e), *et in omnes* (Ecclesias) *Venerandae commonitiones iura dimanant* (f), omnium Ecclesiarum sollicitudinem habuerit; speciali tamen cura, atque auctoritate suburbicariis praesertim providit Ecclesiis; quas inter nostrae Apuliae Episcopales adnumerari sedes compertum est.

Cum autem S. Severi Cathedra ex Civitatensi Apostolica manu prodierit, cui *Draconariensem* adoexam Scriptores, et monumenta testantur, originem nostrorum Episcoporum a *Civitatis* Antistitibus, quibuscum Severopolitani unam veloti seriem conficiunt attingere necessum est.

Primam sic dictae *Civitatis* fundationem nullus pro certo statuere potest. Eam vero ab antiquissimi aeque ac *splendidissimi Theani Apuli* vestigiis ortam ad veterum testimonia merito notavit Cluverius (g). Theanum siquidem haud procul a portuoso Frentone et Gargano (h), ubi scilicet *Italiae latitudo videtur in arctum contrahi, cum a Theano ad Puteolos histhmus pertineat* CIↃ *Stadiorum longitudinem non implens* (i), quodque *abest a Larino decem et octo millia passuum* teste Tullio (k), ad decem vero millia passuum ab ostio Frentonis eodem adnotante Cluverio; magnificentiae suae rudera adhuc exhibet, ubi vulgo *Civitate* nuncupatur, his certe limitibus conclusa. Tanti vero apud veteres habitum, ut ex *tribus* primi *generis Apulis*, *Theanis* scilicet, Plinio auctore nomen dederit (l). Et licet Theanenses Romanorum populationibus fessi Lucio Claudio Cons. et post Cannensem cladem agro cum Apulis multati legantur (m) ab U. C.

(a) *Tertullian.* de Præscription. *Cap. XXXII*

(b) *In Historia Ecclesiastica* Lib. III. Cap. IV. *et in progressu operis suo loco.*

(c) *Tertull. ib. cap. XXI.*

(d) *S. Innoc. I. Pap. Epist. XXV.* ad Decentium n. *II. cum not.* 3. *vet. PP. Bib. Tom. VIII. cit. ed. Galland. Venet.* 1772. *pag.* 586.

(e) *S. Cyprian Ep. LIX.* ad Cornelium *Ann.* 252. *Operum Bremae* 1690. *pag.* 136.

(f) Concil. Aquilejens. *Ep. I.* ad Gratian. Imp. *Concil. Omn. Ampliss. Collect. T. III. pag.* 622. *Edit. Mansi Florentiae.* 1769.

(g) *Philip. Cluverii* Introduct. in Univers. Geogr. *Amstelod.* 1697. *lib. III. cap.* 29. *pag.* 264. *et ex inscriptione in Nostr. Pastoral.* 1818.

(h) *Pomp. Melae* de Situ Orbis *lib. II. edit. Vogel.* 1646 *Lugdun. Batav. pag.* 79 *et C. Plin.* Hist. Natural. *lib. III. Cap. XI. Lugd.* 1548. *pag.* 61. *v. II.*

(i) *Strabon.* Geograph. Ital. *lib. VI. pag.* 197. *ed Vignon Atrebat.* 1577.

(k) *Oration.* pro A. Cluentio *n.* 27. *Oration. edit. P. Caroli Merouville tom. II. Ven.* 1725. *pag.* 13. *n.* 27. *cum nota* 4.

(l) *Caj. Plin.* Natur. Hist. *lib. III. Cap. XI. Lugduni* 1548. *pag.* 61. *vers.* 14.

(m) *Tit. Liv. lib. XXXI. Cap. IV. et lib. IX. Cap. XII. et Strab.* Geograph. Ital. *lib. cit. ed. pag* 197. *v.* 10. *V. Cimaliam* Apulia vetus *Cap. VII. pag.* 128.

D. LIII., principem tamen locum diutissime inter Apuliae urbes Theanum tenuisse veteris novaeque Geographiae, Melae Pliniique praesertim consensu comprobatur. (n) Nil autem tam naturale, ac vero simile, quam in Civitatem Municipiumque Apuliae veluti Metropolim *Equitam Romanorum honestissimorumque hominum dignitate*, (o) ordine populoque, magistratibus, gymnasiis, Chalcidico aliisque publicis operibus per illustrem, Petrum Paulumque, tam speciali cultu apud nos adhibitis per has oras, Provinciasque diversas, Petrum solertissimosve successores, vel inter ipsa Ecclesiae primordia fidei facem invexisse atque Episcopalem Cathedram collocasse; ut inde in proximos vicos, et Oppida Ministerium verbi facilius diffundi posset; vetante Ecclesiastica regula, *in vicis, et oppidis* Episcopales Cathedrae constitui: *ne vilescat nomen Episcopi, et auctoritas.*

Neque his obstare videtur *Civitatis* sic dictae recentior, quae XI. Saeculo vulgo fertur erectio; sunt enim, qui eam putant anno 1022. constitutam; vel potius cum *Troja*, *Draconaria*, *et Florentino* per Bolanum Catapanum ejusque Daunos absolutam.

Huic tamen tempori praeextitisse *Civitatem* colligitur ex privilegio Henrici Monasterio SS. Sophiae Beneventi dato VI. Idus Martii anno MXXVI. indictione XV. apud Ughellium; inter jura enim, et bona, quae eidem Monasterio per Apuliam confirmat Imperator: *In* CIVITATE *Capellam in honorem S. Martini* enumerat. Id etiam facile eruitur ex S. Leonis IX. ad hanc Urbem adventu, atque per plures dies inibi mansionem. Apud hanc enim anno MXLIII. in PLANITIE quae ante veteris Ecclesiae rudera adhuc visitur, ubi dicitur *Pezza della Chiesa*, cruento iterato praelio Germanorum Pontifici faederatorum a Normandis, Duce praesertim Guiscardo, vires excisae; captusque Leo, e *Civitate* cum honore tamen Beneventum a Normannis reducitur, prout ejus aevi monumenta demonstrant. (p)

Nec pariter officit, quod Episcopatus *Civitatis* nonnisi hoc medio saeculo inter Suffraganeos Beneventanae Metropoleos recenseatur, desit autem in Diplomatibus Pontificiis, non solum Joannis XIII. quo Beneventana Ecclesia, decem Episcopatibus dumtaxat tunc ei subjectis, *Sancta Agata* scilicet ABELLINO (q), *Quintodecimo*, *Ariano*, *Asculo*, *Bibbino*, *Vulturaria*, *Larino*, *Telese*, *Alife*, praeter aeque principaliter tunc temporis unitam Sipontum, in Metropolim erigitur septimo Kalendas Junii Anno Dominicae Incarnationis DCCCCLXIX; verum etiam Gregorii V. anno DCCCCXCVIII, pro confirmatione ejusmodi privilegii; licet hic Pontifex adjecerit alias quatuor sedes *Lucerinae* nempe *Triventi*, *Termolarum*, et *Suessulae*. Neque postremo in privilegio Leonis IX. quo praefatis suffraganeis *Lesina* insuper adjicitur, tacito ubique Nostrae *Civitatis* nomine. Sub jure enim Sanctae Beneventanae Ecclesiae anno CIↃLVIII. Leonis Successor Stephanus IX praeter enumeratas Suffraganeas insuper alias *Trojam* nempe *Draconariam*, *Civitatem*, *Montem-Corvinum*, *Tertibulum*, *Vicearim*, *Florentinum*, *Toccum*, *Montem-Maranum*, *Montemque de Vico* Civitates perpetuo constituit in honorem Beneventanae Ecclesiae, *ubi pretiosissimum corpus Beatissimi Bartholomaei requiescit*. Nec tamen hoc brevi Suffraganeorum numero perstitisse patet; olim namque triginta duos habuisse, et *Apuliae Metropolim Beneventum* appellatam esse antiquissimis ipsius Ecclesiae monumentis conficit de Vita (r).

Aliud vero est serius *Civitatensem* Episcopum Beneventanae sedi fuisse subjectum; aliud omnino ejusmodi Sedem tunc erectam, cum in suffraganeum Beneventanae Ecclesiae legitur adsignatus. Etenim nemo, cui cor sapit dixerit, *Abellinum* c. 9. anno demum DCCCCLXIX. Cathedram Episcopalem obtinuisse, cum Beneventi Suffraganeus primarius datus est, cujus Antistitem *Timotheum* Romanae Synodo sub Symmaco CCCCIC celebratae interfuisse dignoscitur; vel Luceriae anno dumtaxat DCCCCIIC. cum suffraganei Beneventani qualitate simul Episcopatus honorem concessum, cujus Antistitem Marcum Synodo Romanae sub Zaccaria jam ab anno DCCXLIII. interfuisse compertum sit. En igitur.

(n) *Cluver. ibid. Vide etiam supra n. 2.*

(o) *Cicer. pro A. Cluent. n. 197. cum not. 28 cit. ed.* Oration. *Tom. II. pag.* 81. *vide supr. hac nostram allocut. Synod. ubi sic corrigenda Tull. citatio.*

(p) *Consule Baron. ann. 1053. et Murator eodem anno.*

(q) Abellino — *Nostra haec patria a veteribus, inter Samnites celebrata in* Aethici Cosmographia *sic laudatur* — Oceanus Occidentalis habet famosa oppida Abellino, Telese . . . Capuam Neapolim (*cit. et Pomp. Melae pag.* 468 *ad* 470 *ubi* famosorum Oppidorum *nomine vel ipsas vetustissimas primariasque Italiae Europaeque Metropoles adnumerat. Idem fere habet Plinius*) *Histor. Naturalis lib. III. Cap. V. cit. ed. pag.* 56. *vers.* 14 *ubi primae Italiae Regionis Civitatis enumerat ita exorditur. Oppida* ABELLINUM, *Aricia, Albalonga, Acerani, Allifani, Atinates etc.* Haec obiter delibasse sit satis, vita comite plura de Patria cui deesse (ut cum Camillo apud Livium Decad. I. L. V. c. 30 loquamur) quoad vita subpetat, aliis turpe, mihi etiam nefas est

(r) Antiquit. Benevent. Med. Ævi. *Dissert. IV. Cap. III. Tom. II. pag.* 262 - 4. *Romae*, 1764 *pag.* 263 - 4.

ORDO EPISCOPORUM QUOS COMPERIRE DATUM FUIT.

Sæc. XI. *Civitatis*

AMELGERIUS anno MLXI, et MLXII.

Quidquid de antecessoribus sit, primus, qui *Civitatis* simul Episcopus, et Beneventi suffraganeus occurrat Amelgerius est. Hic Provinciali Synodo sub Uldarico Beneventi mense Junii anno MLXI. sub Nicolao PP. II. habito interfuit (1), ibique residentibus ceteris Episcopis Civitatense scilicet, *Florentinense*, *Larinense*, *Montecorvinense Bubianense*, nec non et *Telesino*, et *Alifinense*, *Bibinense Frequentinense* cum Abbatibus et (2), Amicus Abbas Sanctae Sophiae, Synodo intercedente, sibi vindicavit duas Ecclesias, quas a *Leone* Episcopo *Draconariense* occupatas querebatur. Notatu hic dignum I. *Civitatensem* Episcopum aliis Ecclesiis praeferri, licet prius Beneventanae Metropoli subjectis; 2. plures in Provinciali hoc Concilio Suffraganeos post *Civitatensem* enumerari, quos Joannis XIII. Gregorii V., et nuperrimi Leonis IX. privilegia ignorant. Praesens etiam legitur *Amelgerius* secundae Provinciali Synodo sub eodem Nicolao II. Beneventi pariter celebratae die 13. Junii MLXII. eodem Ulderico Archiepiscopo, qua jus praedicti Abbatis Sanctae Sophiae super iisdem Ecclesiis confirmatur. Statim vero ab Archiepiscopo, et Papae legatis recensetur *Episcopus Amelgerius Sanctae Sedis Civitatensis*, et Landulphus Episcopus sedis *Florentinensis*, et Joannes Episcopus Sanctae Sedis *Larinensis*, ceterique Episcopi ac Abbates (3): ex quibus Synodi verbis colligitur primas super aliis, vel antiquissimis Episcopis, et Suffraganeis *Sanctae Sedis Civitatensis* Episcopum praesetulisse. *Amelgerius* autem is *Civitatensis* Episcopus fuisse videtur qui anno XI. Desiderii Abbatis Montis Casini *Roberto Lauretello, et Petrone de Lesina Comitibus, et Episcopis Trojano, ac Draconariensi*, necnon et *Abbate Terrae Majoris*, nunc *Torre maggiore* (prout adhuc a vulgo nuncupari audivimus *Terra maggiore*), *comitantibus* Tremitas concessit ad honorifice ordinandum in ipsius Monasterii Abbatem Transmundum Filium Oderisii Marsorum Comitis tunc prudentia, et litteris non parum valentem in locum Abbatis Adam, multorum facinorum rei convicti, teste Leone Ostiensi (4).

II. ROGERIUS anno MLXXI., et MLXXV.

Dedicationi Ecclesiae Montis Casini sub Alexandro II. anno MLXXI. plurimorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Principum, populorumque magno interventu celebratae nostrum etiam legimus interfuisse Rogerium, atque ejusdem Consecrationis instrumento subscripsisse, celeberrimo de quo conventu Poeta apud Ostiensem (5) canebat.

Lucani coeunt populi, coit Apula pubes,
Ac Calabri, et cuncti quos alluit aestus uterque.

---

(1) *Vide Ughell.* Dragonarienses Episc. II. Venetiis 1721 v. VIII. p. 276.

(2) *Concil. Prov. I. habitum mense Junii 1061. ab* Ulderico *Archiepiscopo ex* Chronico Monast. S. Sophiae *deprompt. Synodic. Prov. pag.* 13. *et III. ann.* 1075. *n.* 3. *p.* 19.

(3) *Synod. Prov. pag.* 15. Conc. Prov. Secund. 13 *Jul.* 1062 *sub eod. Ulderico Archiepiscopo n.* 1. *et* 3. *pag.* 15.

(4) Cronic. Casinen. *lib.* 3. *cap.* 27. *Neapoli* 1616. *pag.* 362.

(5) Chr. Cassin. *ib. cap.* 31 *pag.* 371.

DRACONARIÆ EPISCOPORUM ACCESSIO.

Draconariae haud procul a Civitate ad meridiem Episcopos sedisse Synodorum acta, vetusta monimenta, et Beneventanae Ecclesiae Aeneae Valvae, ubi inter ejus suffraganeos post Civitatensem recensetur, extra omnem dubitationis aleam constituunt. Episcopatui autem nostro, et hanc Ecclesiam nunc solo aequatam per Romanos Pontifices perpetuo suppressam unitam fuisse Ughellius, Ursinus, Sarnellius atque de Vita (a) testantur. Draconariensium interim Episcoporum quoque Catalogum accipe.

Leo anno MLXI.

Is est a quo in Synodo Beneventana hujus, et sequentis anni *Amicus* Abbas Sanctae Sophiae quaesivit sibi reddi Ecclesias *Sanctae Mariae de Olvino*, et *Sancti Benedicti* juris sui Monasterii, tamquam ab eodem occupatas, quas libenter *Leo* in Synodo dimisit: judicatum exhibet Ughellius.

II. *Campo* an. MLXXI.

Interfuit Dedicationi Ecclesiae Casinensis habitae ab Alexandro II. ejusque instrumento sic legitur subscriptus: *Campo Episcopus Draconariensis.* Anno autem 1075 ab Abbate *Madelmo* Sanctae Sophiae coram Milone Archiepiscopo, et Synodo Be-

neventana super earum duarum Ecclesiarum restitutione, Conventus dimittere Synodi judicio coactus est. Acta, lege apud eundem Ughellium in Archiepiscopis Beneventanis ubi de *Milone*.

(a) *Antiqu. Benev. Medii Aevi dissert. V. cap. III. T. II. pag.* 304 *Tabula Benev. Metropolis. nota* (2).

Tertiae pariter Provinciali Synodo sub Gregorio VII, quarto ab hinc anno in Beneventana Cathedrali Ecclesia habitae praesidente Milone septimo Archiepiscopo mense Martio indictione XIV. anno MLXXV. Rogerium interfuisse, et subscripsisse constat. In ea quippe cum Milone residentibus *Bernardo Agathensi*, *Alberto Bovianensi* (apud Labbè Bobianensi) *Petro Guardiensi*, Rutgero Civitatensi, *Gilberto Telesino*, *Roberto Florentinensi*, *Nicolao Termulensi*, *Azzo Lucerino*, *Willelmo Larinensi*, *Meinardo Arianensi*, *Madelmo* ejusdem Monasterii Sanctae Sophiae Abbati adversus Episcopum *Draconariae Campo* super praefatis duabus Ecclesiis, quarum altera dicitur *S. Maria in Nolicino*, altera vero *S. Benedicti* in eodem *Civitate* sita reclamanti jus iterum redditum, *Campo* cedente sibi reservata tantum *Canonica*, et *Parochiali auctoritate*. Synodali Constitutioni ante Telesinum, Florentinum, Termulensem, Lucerinum, Larinensemque Episcopos ita subscriptus legitur - *Ego* Rut-gersus Civitatensis *Episcopus* (1).

Eodem certe vivente, atque expostulante Episcopo S. Gregorius VII. anno MLXXIV. sequenti Synodali Epistola inobedientiae arguit Arnaldum Abbatem *Sancti Severi* (Monasterii scilicet hoc titulo Turris Majoris), ob molestias illatas Monasterio *S. Crucis*, Castri tunc *Sancti Severi*.

« *Non mediocris*, inquit, te inobedientiae *arguere possumus*, quod » post multas *querimonias de te* in Romanis Conciliis factas *Monasterium* » *S. Crucis* de Ecclesiae *Sanctae Mariae*, nullam adhuc justitiam sit con- » secutum. Licet examen exquirendae veritatis hujus negotii frivolis excu- » sationibus jam ex longo tempore evitasse videaris, praesenti tamen anno » pro definienda lite nostra a legato nostro *Giraldo* Ostiensi *Episcopo* ad » Synodum vocatus, nullam Deo, et Sancto Petro diceris reverentiam exhi- » buisse, adeo ut, contempta auctoritate Apostolicae Sedis, neque tu » venire, neque alios juste te excusaturos studueris mittere. Unde quia » absentatio tua indicium injustitiae tuae clarissimum tribuit, diffinitum » in eadem Synodo, Monasterio *S. Crucis* praedictae *Sanctae Mariae* jus » et possessionem restituendam esse. Quam diffinitionem Nos approbantes, » praecipimus tibi Apostolica auctoritate, ut praefatum *Monasterium S.* » *Crucis*, sicut statutum est, quiete tenere permittas. Quod si te justitiam » habere confidis, hinc usque ad festivitatem omnium Sanctorum ad nos » venire studeas, teque praedicto Abbati eodem termino venturum notifi- » ces; quatenus utriusque partis perquisitis rationibus, certum causae ve- » strae finem, Deo auxiliante, imponamus. Data Romae in Synodo Secun- » do Idus Martii indictione duodecima (2)

Quod autem in Episcopatu *Civitatensi* Ecclesia *S. Crucis* fuerit, eaque *S. Severi* ex Censuali Romano anni MCXCII. abunde liquet in qua legitur: » In EPISCOPATU CIVITATENSI. Monasterium *Terrae Majo-* » *ris* pro duabus Ecclesiis una scilicet *S. Crucis in Castro S. Severi*, et » aliae *S. Spiritus* II. uncias auri (3). Hanc vero Ecclesiam postmodum Patribus Ordinis S. Mariae de Monte Carmelo traditam memoriae proditum. Pluribus tamen ab hinc saeculis a Confraternitate *S. Crucis* obtentam ejus-

(1) *Vid.* Concil. Provincial. III. *habitum die I. Aprilis* 1075. *a S.* Milone Arverno *VIII. Archiep. Beneventano n.* 1. 34. Synod. Provinc. *pag.* 19. *cum nobis*.

(2) *An.* 1074. *lib.* 1. *Epist. ad* Arnaldum Abatem Sancti Severi. *Concilior. Collect. Mansi Tom.* 20. *Venet.* 1775. *Col.* 101. 2.

(3) *Liber Censuum Rom. Eccl. a Cencio Camerario compositus secundum antiquorum Patruum regesto, et memorialia diversa anno Incarnationis Dominicae MCXCII. ex Murat. Antiq. Med. Aevi Diss. LXIX. T. V. pag.* 852. *apud de Vita ib. Dissert. V. p.* 421. 22. *nota* (2).

dem Ecclesiam ac Paroeciali S. Severini addictam *acta Visitationis* hujus Ecclesiae die tertia Septembris MDXCI sub nostro Praedecessore *Malaspina* habitae exploratum faciunt. Nunc vero a Sodalibus *S. Mariae de Monte Carmelo* ab hominum memoria possidetur. En tibi interim S. Severi memorabilia ante *Falconem Beneventanum*, et *Innocentium III*, quos ceu antiquiores, qui ejusdem meminerint, scriptores laudat Ughellius.

III. *LANDULPHUS* anno MLXXXXII, vel potius MLXXXIX. (1).

Celeberrimae Synodo *Melphitensi*, quae anno Dominicae Incarnationis MLXXXIX. Indict. XII. IV. Idus Septembris congregata est, Urbani II. jussu, Episcoporum LXX, Abatum XII, omnium immo Apuliensium, Calabrorum, ac Brutiorum Episcoporum, teste Lupo Protospata (2), magna cum Principum frequentia, tum collapsae Ecclesiasticae disciplinae reparandae, cum Terrae Sanctae ab Infidelibus, Saracenisque occupatae liberandae, LANDULPHUS CIVITATENSIS Episcopus interfuisse notatur.

Quin paulo post morte praeventum putemus *Landulphum* nostrum, cum ejusdem nominis Beneventano Archiepiscopo Ceperanum ad Synodum a Paschali II. collectum, plurium Principum interventu celebrem, perrexisse potius credimus. Falco enim Beneventanus testatur eo Metropolitanum tetendisse, *suffraganeis suis* convocatis, anno scilicet MCXIV Mense Octobris. Quod si ita est, verosimilius censendum pariter nono Kalendas septembris, eodem Praesidente Pontifice, Trojano adsedisse Concilio. Ad cujus Sacri conventus praesentiam fere omnes Apuliae Proceres Archiepiscopi, et Episcopi convenerunt. Quo confirmato, et pie finito, Papa Beneventum tertio die intrantis Septembris reversus est. Verba sunt ejusdem Falconis (3). Vita pariter comite interesse etiam potuit Beneventanæ Provinciali Synodo calamitatibus Urbis illius reparandis ab eodem *Landulpho* Archiepiscopo anno I. Callisti II. mense Martio postmodum convocatae, ad cujus Sacri conventus praesentiam eodem scribente Falcone, Tusculanus Episcopus, duo Cardinales, et Beneventanae sedis suffraganeorum circiter viginti adfuere (4).

Idem verosimiliter Landulphus sub Paschale II. controversiam habuit cum Abbate, et Monachis *Terrae Majoris* super ministerii Pontificalis exercitio in *Castro Sancti Severi*, quod Abbas ille praesumpserat in eo Civitatensi territorio exercere, quam amicabiliter auctoritate Apostolica summus ille Pontifex composuerat. Eam cum deinde Abbas turbare niteretur, *Landulphus*, ejusve successor, ad Gelasium II, qui adhuc proprium *Joannis* nomen retinebat, pro justitia obtinenda confugiens, ab eo sequens retulit favorabile decretum, a suo originali ab Ughellio exscriptum, quod cum plura scitu digna contineat, hic transcribendum censemus.

Joannes Gajetanus Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis Abbati, et Monachis TERRÆ MAJORIS *salutem, et Apostolicam benedictionem.*

» Cum super controversia, quae olim inter vos, et Venerabilem Fra-
» trem nostrum CIVITATENSEM Episcopum diutius fuerat agitata de utrius-
» que partis assensu amicabiliter compositio auctoritate felicis recordationis
» *Paschalis* Papae Praedecessoris nostri, sicut recolimus, intercesserit,
» eam sicut praedicto Episcopo significante comperimus, negligitis obser-

III. *Berardus* anno MC.

Donationi Roberti Comitis Lorotelli, Domini Civitatis Bibini, favore illius Ecclesiae, mense Junii hujus anni sic legitur subsignatus - *Signum mei Berardi Draconariensis Episcopi, qui interfui praedictis* (a)

(1) *Vid. Bar. annal. MLXXXX. III. et seqq. Pagi vero ib. n. III. anno MLXXXIX. annal. T. XVII. cit. ed. Lucae* 1745. *pag.* 610.
(2) *V. Mansi Concil. General T. XX. pag.* 721 *ad* 725.
(3) *Apud Ughell.* Benev. Archiep. Landulphus *LXI. ib. pag.* 93.
(4) *Idem ibid. Civitatens. Episc. vol. VIII. n. III. pag.* 271.

» vare, et illi contra ipsius compositionis tenorem suam justitiam subtra» here minime formidatis. Quia igitur pati nolumus, nec debemus, ut quae » favore Apostolico, vel judicio sunt sopita, cujusquam malitia recidivam » incurrant. vel quidquam in eorum praejudicium attemptetur, per apo» stolica vobis scripta mandamus, quatenus eamdem compositionem omni » contradictione, et appellatione cessante, inviolabiliter observetis, nec con» tra eam venire de caetero praesumatis, et si quae contra ejusdem com» positionis tenorem praedicto Episcopo subtraxistis, ipso Episcopo sine » dilatione, qualibet contradictione, et appellatione cessante, reddere mini» me post-ponatis, aut super ipsis satisfactionem congruam exbibere, et » ab *administrativa Pontificalis Officii in* Sancto Severo *juxta dictam* » *compositionem* curetis cautius *abstinere*, vel in festo S. Lucae proxime » venturo super his dicto Episcopo plenarie responsuri nostro vos conspe» ctui praesentetis, nullis litteris veritati, et justitiae praejudicium faci» entibus, si quae comperuerint a Sede Apostolica impetratae. Datum Ro» mae apud S. Petrum decimo Kalendas Augusti Pontificatus nostri anno » primo.

IV. *Nicolaus* anno MCLXXIX.

Magnae Synodo Lateranensi III. ad-fuit, atque subscripsit.

V. *Joannes* anno MCLXXXXII.

Per haec tempora nostrum floruisse Joannem Monasterii Sanctae Mariae de Gualdo Beneventanae Dioceseos, monumenta probant.

VI. *N.* anno MCCXVIII.

Desideratur nomen hujus Episcopi Draconariensis, cui Honorius III. Pontificatus anno II. sub datum *Laterani tertium nonas Junii*, *mandat*, ut simul cum Lucerino Episcopo de Canonizatione Joannis Eremitae, Prioris Sanctae Mariae de Gualdo, Dioecesis Beneventanae diligenter inquirat, ac de omnibus Apostolicam sedem certiorem faciat ( ). Kalendis autem augusti Pontificatus anno MCCXX. Lucerinam Pastore viduatam, eidem fortasse Draconariensi Episcopo commendat (*)

Compositionis hujus conditiones sustulit vetustas, et quamdiu Gelasii decreto parentes juribus *Civitatensis* Ordinarii sartis tectis servandis Abbates obtemperaverint, ignoramus. Id nos profecto non latet I.° circa ea tempora adeo Monachorum excrevisse licentiam Episcoporum jura, et privilegia invadendi, ut istorum querelis in Concilio Lateranensi I. sub Callisto II. anni MCXXIII. mense Martio locum dederint dicendi nil aliud superesse, *nisi ut sublatis virgis, et annulis deserviant Monachis.* (1) 2.° quod si aliquando de reliquis, multo magis de hujus aevi *Turris Majoris* Abbate, qui feudali, ac veluti legislativa jurisdictione super Castro *Sancti Severi* pollebat. De *Benedicto* enim ejusdem Monasterii Abbate conquestum novimus anno 1110 apud Paschalem II. in Synodo Beneventana super suorum jurium invasione. » Proclamavit etiam super *Benedictum Turris majoris* » Abbatem, quod Ecclesiam Sanctae Mariae in Casali plano, quae juris » hujus loci (scilicet Montis Casini) extiterat, invasisset » prout testatur Chronicae Casinensis continuator Petrus Diaconus (2). Ex pergamena autem *Consuetudinis*, seu edicti e Regio Archivo depromti sub die octava Mensis Aprilis anni MCXVI, Abbatem illius Monasterii *Adenulphum* plura super Vassallis Sancti Severi, quoad Decimas, praestationes, aliaque jura Feudalia edixisse comperimus (3).

N. N. anno MCLVII.

Magnam porro post Landulphum nostrorum Episcoporum nomina subiisse jacturam, vel inde profecto liquet, quod ab eo ad Lateranensis III. Concilii tempora, nobis illa delitescant; licet anno 1157. *Unifredum* Monasterii ejusdem *Terrae Majoris* Abbatem Ecclesiae S. Laurentii extra muros Beneventi ad flumen *Calore*, nunc titulo Sanctae Mariae Gratiarum sub cura Patrum Sancti Francisci de Observantia, ab Henrico Beneventi Archiepiscopo donatum, ex diplomate Concessionis ab Ughellio edito abunde doceamur (4).

---

(1) *Apud Ostiens.* Chr. Cassin. *lib. IV. Cap.* 78. *cit. ed. pag.* 557.
(2) *Chron. Cassin lib. IV. cap.* 48.
(3) *Videsis legalem allegationem super* Decimarum *controversia pro civibus S. Severi, cui titulus* Nuove ragioni dell' Università. Napoli 17. *luglio* 1800. *Cap. II. pag.* 17. *et seqq. et* 24. etc.
(4) *Concil. Lateranens. III. cit. ed. Mansi* Concil. Collect. *T. XXII.* col. 461. Subscriptiones seu Nomina Praelatorum qui Concilio huic interfuerunt.

IV. *ROBERTUS* anno MCLXXIX.

Post longum temporis intervallum acta Concilii Lateranensis III. hoc anno schismati cavendo, disciplinae instaurandae, Albigensium, Valdensiumque erroribus damnandis sub Alexandro III. celebrati, Robertum Civitatensis Ecclesiae Episcopum cum trecentis Episcopis subscripsisse perhibent per haec verba. *De Provincia Beneventana - Robertus Civitatensis, Nicolaus Draconariensis.*

Memoriam ejusdem eodem anno exhibet Donatio Roberti Comitis *Lorotelli* nepotis, sc. Roberti Guiscardi Apuliae Ducis (1) favore Ecclesiae Bibinensis, cui subscriptus legitur — *Ego Robertus humilis Civitatis Episcopus testis sum*, quam ex Autographo Episcopalis Bibinensis Chartulario, sub *Datum in Civitate Florentini* anno XCLXXIX. *Regni Guillelmi XIII. mense Aprilis indictione XII.* protulit Ughellius (2). Sub his certe Civitatis, et Draconariae Praelatis inter ceteras Guillelmi Regis feudatarias hae praestabant Ecclesiae. Ita enim se habet Catalogus per Carolum Borrellium Neapoli 1653 typis Longi editus *pag.* 154. *Hi sunt Praelati Feudatarii justitiariatus Capitanatae, et Principatus. Monasterium Terrae Majoris tenet Riciam, quae est Feudum* 1. *militis, et tenet Roganum, et Casale Terrae Majoris, S. Justam, et S. Mariam in Arco, quae sunt Feuda. Episcopus Dragonariensis tenet Plantilianum, quod est medium Feudum.* N. B. In *Civitate* in privilegio Henrici Imperatoris favore S. Sophiae id. Martii 1022 erat etiam Ecclesia S. Martini. *Monasterium S. Angeli de Civitate tenet S. Antonium, quod est Feudum militis, et est inhabitatum. Episcopus* Civitatis tenet *S. Laurentium, quod est medium Feudum.* Ibid. p. 154.

Sæculum XIII.

V. *N.* anno MCCX.

Inter turbas, motusque, et calamitates politicas XIII. Saeculi, Episcoporum quoque Civitatensium nomina disparuisse, summopere dolendum potius, quam mirandum. Cecidit sane nomen Praesulis cui praecipue in minoritate Federici II. a defuncta Matre, Constantia, Henrici IV. vidua, atque e Normannorum prosapia ultima suae tutelae commendati pro Civitatensis Comitatus defensione; et custodia sequentem Innocentius PP. III. scripsit Epistolam - » Civitatensi Episcopo, Baronibus, Militibus, et universo populo in Comitatu Civitatensi constitutis. Cum defensio vestra pariter, et tutela specialiter ad nos.... pertineat.... ne ab aliquo sustinere possitis molestiam, vel gravamen, paterna duximus sollicitudine providendum. Inde est, quo Dilecto Filio nobili viro R. Comiti *Theatino*, viro utique provido, et prudenti nostris dedimus litteris in mandatis, ut ipse qui *vicinitate* vobis ad defensionem, et tuitionem melius potest intendere, vos protegat, et defendat, nec permittat vobis gravamen aliquod irrogari. Quocirca Universitati vestrae per Apostolica scripta mandamus, et districte praecipimus, quatenus eidem nomine Regio tamquam Procuratori nostro a nobis supra hoc constituto de cetero intendentes, in omnibus necessitatibus vestris ejus consilium, et auxilium requiratis. Datum Laterani VII. Idus octobris (*Pont. an. secundo*). (3) ».

(1) *Ex Romualdo Salernitano ap. Murator.* Scriptores Rerum Italicar. T. VII. pag. 176.
(2) *Ughellius* Episcopi Bibinenses.
(3) *Innoc. III. Epist. lib. II. ep.* 192 *Paris.* 1683 *vol. I. pag.* 460.

Licet autem Episcopi nomen desideretur tam ex ista, quam ex alia ipsius Pontificis Epistola Clero, et populo Civitatensi tertio Kalendas Januarii ( ), satis liquet, quanti tunc *Civitatensis Comitatus*, Episcopatus, Episcopus, Clerus cum Baronibus, et Militibus, et universo Populo haberetur, ut Civitas caput esset totius Comitatus, et ipse Episcopus Regni Baronibus non infimis adnumeraretur; quemadmodum ex Regesto Feudatariorum jam sub Rege Guillelmo II. existentium per Carolum Borrelli editum manifestius comprobatur: in eo enim legitur *Episcopus Civitatis pro S. Leucio Militem unum, et dimidium, et cum augmento obtulit milites tres, et servientes quindecim pag.* 40 *Ibid.* Sancti Leucii autem reditus ad quatercentum nummos aureos pro Canone, vel Censu adhuc in singulos annos S. Severi, et Civitatis Episcopis solvitur per illustrem D. Josephum Baronem de Luca Civitatis Foveae.

VII. *Joannes* an. 1236.

A Gregorio IX. Pontificatus anno decimo, Delegatus pro reformatione Monasterii de Tremito ordinis S. Benedicti Larinensis Dioecesis, vel ejusdem incorporatione ad ordinem Cistersiensium: quanto labore, ac fide commissarii Apostolici vices ad Pontificis mentem exegerit, ipsius gesta, et relatio ab Ughellio prolata, dilucide comprobat.

VI. *N. EPISCOPUS* anno 1210.

Cecidit praeterea, ni forte tunc Civitatensis vacasset Ecclesia, Episcopi illius nomen, cujus Capituli Dignitatibus Innocentius III. super quaestionibus Processionum aliarumque Ecclesiasticarum functionum inter Ecclesias *S. Severi* Civitatensis Dioecesis sequentem scribebat Epistolam quae aliquam Capituli Ecclesiaeque illius disciplinae faciem exhibens (1). Archidiacono, et VV. et R. *Primiceriis Civitatensibus*. Cum *olim* inter Clericos *S. Severini de Castro S. Severi* ex parte una, et Clericos Ecclesiarum *S. Nicolai*, Sanctae Mariae, et *S. Joannis*, Castri ejusdem, Civitatensis Dioecesis ex altera super *Processionibus* in diebus *Rogationum* tam in eundo, quam redeundo ad *S. Severini* Ecclesiam exhibendis, celebrando *Sextam* ibidem, et *Sermonem* in Dominica Palmarum ad Populum faciendo, necnon etiam *pulsationibus Campanarum* quaestio mota est, Abbas *Terrae Majoris* Ordinarius Judex eorum de meritis ipsius causae sufficienter instructus Clericos praedictarum Ecclesiarum super praemissis omnibus Clericis Ecclesiae *S. Severini* per definitivam sententiam condemnavit; quam profecto sententiam cum iidem Clerici recepissent, et aliquanto tempore sine contradictione servassent, nitentibus demum eis venire temere contra ipsam, Clerici *S. Severini* ad bonae memoriae *Draconariensem* Episcopum, et Magistrum P. Canonicum Trojanum Apostolicas litteras impetrarunt, quarum auctoritate Clerici praefatarum Ecclesiarum ab Episcopo isto citati, mandato Apostolico intellecto, promiserunt se supradicta omnia firmiter servaturos, eaque inviolabiliter observare, dictus Episcopus eis sub excommunicationis poena praecepit, et sic postmodum, quod per antedictum Abbatem, et eundem Episcopum provide factum fuit, per sedem extitit Apostolicam confirmatum. Nuper autem cum inter *Nicolaum* Ecclesiae *S. Severini* ex parte una, et Thomam *S. Nicolai*, ac Mauritium *S. Mariae* ex altera Procuratores super iis quaestio verteretur, dilecto filio Tullio Subdiacono, et Capellano nostro eos commisimus audiendos; in cujus praesentia Procuratores Clericorum dictarum Ecclesiarum; videlicet *S. Nicolai*, et *Sanctae Mariae* recognoverunt omnia supradicta, eo quod de Sexta canenda praemissum est dumtaxat excepto. *Ne igitur lites, quae justo judicio sunt decisae calumniantium vitio reviviscant*, discretioni vestrae per Apostolica scripta praecipiendo mandamus: Quatenus dictos Clericos *Sancti Nicolai*, et *Sanctae Mariae* ad haec omnia inviolabiliter observandum, secundum quod a praedictis Abbate, nec non et Episcopo est statutum, monitione praemissa, per

---

(1) *Epist. Innoc. III. Rom. Pont. lib. XII. Epist.* 54. *Paris.* 1682 *tom. II. pag.* 329.

censuram Ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compellatis. Quod si non omnes etc., vel duo vestrum etc. Datum Viterbii duodecimo Kalendas Julii Pontificatus nostri anno XII. Nimis clara sunt Innocentii verba Civitatensis Dioecesis, quae extra omnem dubitationis aleam Castrum Sancti Severi cum suis antiquissimis Ecclesiis Clericalibus *S. Severini*, ac *S. Nicolai* et *S. Mariae* Dioecesano Civitatis Episcopo Saeculo *XIII.* sub eodem Innocentio, ut duodecimo sub Paschali, et Gelasio, subjectum constituunt. Nec ullum negotium facessit de Abbate Turris Majoris dictio illa ab Innocentio praemissa: *Ordinarius Iudex eorum de meritis causae sufficienter instructus*; nescimus enim praedictae compositionis inter Civitatensem Episcopum, et Abbatem a *Paschali II* amicabiliter factae, et a Gelasio II confirmatae fines: scimus tamen expresse per eandem a *Gelasio* Abbatibus injunctum- Ab administrativa Pontificalis officii in Sancto Severo, *juxta dictam compositionem, curetis cautius* abstinere (1), quod ipsum ab Innocentio Saeculo XIII. anno decimo paucis repetitum illis verbis: de *Castro Sancti Severi Civitatensis Dioecesis.* Privilegium fortasse aliquod super illis Clericis, vel eadem compositione reservatum, vel feudalis jurisdictionis excessu, in quod vel ab XI. et XII. saeculo tam naviter intendebant (2), vel causae fortasse continentia nomini *Judicis Ordinarii* hac controversia occasionem dedisse potuit. En interea luculentius antiquitatis Sancti Severi monumentum, cum quaestio coram Innocentio III agitata, jam *olim* definita, et aliquanto *tempore sopita*, a memoria hominum Castrum ipsum, ejusque insignes Ecclesias *SS. Severini*, *Nicolai*, *et Sanctae Mariae*, Civitatensis Dioeceseos cum suis Clericis juribus, honoribus, reditibusque suis olim fuisse testatur, in quo Paschalis, et Gelasii, atque Innocentii, saeculo priore, rescripta consentiunt.

VII. *N.* anno MCCXXIV.

Intercidit praeterea nomen illius Dioecesani Episcopi, qui hoc anno Civitatensem regebat Ecclesiam, cujus profecto assensu, et facultatibus Risandus Melphitensis Episcopus eamdem *Sancti Severini* Ecclesiam *noviter consecravit*, quod nedum ingenti marmore pro superliminari eidem Ecclesiae adhuc praestante, verumetiam ejusdem Risandi publico Consecrationis instrumento e pergamena in Archivio ejusdem Ecclesiae servata a nobis fideliter trascripto, atque collato luculenter docemur. Instrumentum vero cum veteris disciplinae de consecratione Ecclesiae, at canonicae penitentiae operibus non contemnenda vestigia exhibeat, nostrarumque Ecclesiarum origines servet, integrum et fideliter ex suo originali transcriptum heic subsjicimus » *Universis Christi fidelibus, ad quorum notitiam scriptum per-*
» *venerit, dilectis in Christo fratribus, filiis, et amicis, suis carissimis.*
» *Risandus Dei gratia humilis Melphitensis et Episcopus in vero salutari sa-*
» *lutem. Quin pium est, et meritorium sacris Dei Ecclesiis, in quibus*
» *Sacramenta pro salute Populi celebrantur, et Patri Filius per ministrrium*
» *Fid... m jugiter immolatur, de bonis temporalibus providere omnibus, Chri-*
» *stiani..., qui Ecclesiae Benti Severini de Sancto Severo noviter conse-*
» *crat... manum Misericordie de facultatibus sibi concessis a Deo in pre-*
» *senti porrexerint de residuo poenitentiae injuncte sibi canonice, quam*
» *in presenti paupertate depressi aegritudine pregravati, et morte pre-*
» *venti complere non poterunt, quadraginta dies criminalium, misericordi-*
» *ter relaxamus. Seriptum apud Sanctum Severum anno Dominice In-*

VIII. *Benedictus* anno MCCLXXXIII.

Decimas a Carolo II. petit ex Regio regesto Neapolitano.

IX. *R.* anno MCCXCVIII.

Hac initiali signatur Draconariensis Antistes, qui ab eodem Rege Decimas petit.

X. *Benedictus* anno MCCCI.

In regesto Caroli Illustris hujus Ecclesiae Praesul memoratur.

(1) *Vid. supra in* Landulfo Epist.
(2) *Ibid.*

» *carnationis millesimo ducentesimo vigesimo quarto mense Maii duodecima* » *Indictione* ». Restauratam ac noviter conseeratam S. Severini Ecclesiam hoc marmore, atque instrumento Saeculi XIII. docemur; quam tamen a temporibus Innocentii III, eum suis Clericis, inter alias principem habuisse locum, ipsius Pontificis Epistola comperimus.

VIII. *N.* anno MCCLV.

Cecidisse pariter credendum Canonici illius Beneventani nomen, quem, mandante Innocentio IV, Epistola sub *Datum secundo Idus decembris Pontificatus anno duodecimo*, Christi vero MCCLV, per Guillelmum Diaconum Cardinalem Sancti Eustachii, in *Civitatensem* Episcopum electum novimus. Aliorum pariter Praesulum ejusdem saeculi nomina nos fugiunt, quae signata in libro vitae auspicamur.

SÆCULUM XIV.

IX. *N.* anno MCCCI.

Etsi nos lateat nomen, non latet zelus Episcopi *Civitatensis*, qui primo hujus saeculi anno ad Carolum II. Andegavensem confugit, ut a Comite (forte Henrico) Vadimonte, et Guidone ejus fratre, *Civitatis* tum utilibus dominis, Decimas super integro Civitatensi territorio ab immemorabili Praedecessoribus praebitas, sibique, et successoribus debitas, solvi mandaret. Votis annuens Carolus celebri eorum temporum Jurisconsulto Andreae de Isernia, et Guillelmo Ponciaco, tunc Apuliae Magistris rationalibus, die II. Julii rescripsit (1); *ut si notorium foret Praedecessores ejusdem* » *Episcopi ab* antiquis temporibus consuevisse recipere Decimam jurium, » redituum, et bajulationis terrae praedictae, illam dicto Episcopo pro » toto praeterito tempore, quo ipsam se non recepisse dicebat, ex eo quod » Comes Vadimontis, et Guido frater ejus Domini dictae terrae illam ei » solvere denegarunt, facerent integraliter exhiberi ».

Quoniam autem, non obstante solitae praestationis hujus probatione, per Ponciaeum, absente Isernia, confecta, ejusque decreto Bajulis dictae Terrae, ut de pecunia Bajulationis ejusdem retinerent uncias quinquaginta, exhibentes dicto Episcopo pro decima memorata, hi moras adhuc solutioni nectebant, novum obtinuit Episcopus praeceptum manu celebris Bartholomæi de Capua Regni Protonotarii, Bajulis, et universis hominibus terrae *Civitatis*; ut si praemissis veritas suffragatur, difficultate qualibet, et occasione remota, Ponciaei decreto parerent. Par anno sequenti Regale Rescriptum idem haud dubio Episcopus ab eodem Carolo impetravit adversus Rainaldum Dommartinum, decimas hujusmodi recusantem, eo quod in concessione hujus oneris nullam factam fuisse mentionem praetendebat. Precibus Episcopi indulgens Rex pientissimus die 30. Augusti MCCCI consuetae solutioni Rainaldum obnoxium dixit, sic concludens: » Cum ergo » in signum universalis dominii ejus, qui dat omnia omnibus, ex Divina » institutione noscantur decimae constitutae, quae quidem merito ceteris

---

(1) *Haec et similia monumenta legetis in Consultatione Regalis Camerae S. Clarae descripta e Regesto ipsius Archivii. - Estodo num.* 119. *fol.* 91. *per nos iterum edita, sic dicta*: Esemplari delle Consulte del Delegato della R. Giurisdizione, e della R. Camera di S. Chiara per l'esazione delle Decime nel territorio di S. Paolo colla Regale Risoluzione ed ordini corrispondenti *nell' anno* 1823, *fol.* 13 *et seqq.*

» debitis praeferuntur: proinde intentionis nostrae non fuerit per concessionem ipsam factam eidem Rainaldo de juribus Bajulationis ejusdem solutioni dictae decimae derogari (1).

X. *PETRUS* anno MCCCIII.

Petrum Civitatensem Episcopum hoc anno regia Regesta perhibent. Forte idem, cui et duo prolata Caroli hujus saeculi rescripta super Decimarum solutione concessa notavimus; cuique duo pariter ejusdem Regis, alterum die 28 Julii MCCCVI, alterum 31. Maii MCCCVIII. reddita novimus, quorum ultimo Carolus regio praecipit Commissario: » *si nondum* » pro annis ipsis, ipse, et Praedecessor ejus, aut alius pro praedicta Ecclesia recepit, eamdem de pecunia bajulationis ejusdem, prout consuetum est hactenus, integraliter exolvatis, ita quod ulterius inde vobis scribere non cogamur; apodixam idoneam de iis, quae solveritis, recepturi (2). »

XI. *JOANNES* anno MCCCX.

Regnante Roberto, qui in locum Patris Caroli II. de mortui die 5. Martii successerat die I. Augusti MCCCIX. floruisse noscitur Joannes Civitatensis Antistes vivebat sub Clemente V. anno MCCCX. Sic pariter nuncupatur in Regio Neapolitano Regesto Praesul, qui decimas petit, idem verisimiliter cum Joanne isto, qui sub Clemente vixit, cui fortasse etiam relatum 31. Maii MCCCVIII. Rescriptum de decimis pro more *integraliter* solvendis, pro annis, quibus ipse, vel Praedecessor ejus, Petrus scilicet, non receperat, concessum credibile est.

XII. *PETRUS* anno MCCCXIV.

Petrus hoc anno memoratus in Regesto apud Ughellium ( ) alter ab eo censendus est, quam signant anno MCCCIII. quo cum hunc confundit Ughellius; interjacet enim inter utrumque *Joannes.* Undecim vero annorum intervallum ab anno scilicet MCCCIII. ad annum MCCCXIV. alterius Episcopi institutioni, ac regimini optime locum praebet.

XIII. *UGO* anno MCCCXXIII.

Ab anno hoc ad annum saltem MCCCXXIV. nostrae hujus Ecclesiae habenas rexisse Ugonem e Neapolitani regii Cartularii Regestis colligitur, quae illum hoc anno 1318 memorant; ipsum vero sex insuper annis Civitatensem tenuisse *sedem* e mox dicendis patebit.

XIV. *F.r LAURENTIUS DE VITERBO* anno MCCCXXX.

Insignem hunc Ordinis Prædicatorum Theologum anno circiter MCCCXXX, eodem Roberto regnante, Civitatensem Episcopum a Joanne XXII. creatum, decimo ab assumptione anno, scilicet MCCCXL. extremum clausisse diem, Auctor est *Fontana in Theatro Dominicano.* Hinc prolude colliges, eliminandum e *Civitatis* Dauniae Beneventanae Provinciae Episcopis Joannem illum, qui apud Harduinum Concilio Salmaticensi in Hispania interfuit anno MCCCXXXV. atque inter nostrates Episcopos ab eodem Conciliorum Collectore in Episcoporum tomi ultimi indice collocatur. Is nam-

(1) *Ibid.*
(2) *Ibid.*

XI. *Petrus* anno MCCCXVIII.

Hujus Sedis habetur Antistes, cujus etiam meminit idem Regestum anno MCCCXXI.

XII. *Simon* anno MCCCXXXIII.

Regius hic Capellanus, et Consiliarius Roberti Regis hoc anno conqueritur de Nicolao a Sancto Agapito tamquam injusto detentore Castri Plantiliani in justitiatu Capitanatae ad suam Ecclesiam spectantis prout ex catalogo Borrelli probavimus in Nicolao an. MCLXXIX. Decubuit anno MCCCXLIII.

XIII. *Petrus* anno MCCCXLIII.

A saniore parte Capituli montis Marani electus Episcopus, post diuturnam litem anno MCCCXL a Benedicto XII. confirmatus, Avenione XIV Kalendas Aprilis anno MCCCXL, triennio post ad Draconariensem sedem a Clemente VI. translatus est, ut paci, et tranquillitati hujus Ecclesiae consuleret. Nam pariter scisso Draconariensi Capitulo, pars una illius Berardum Petri Corii de Lionessano, alia Laurentium de Milo de Marrano delegerat; quibus rejectis, Clemens quinto Idus Julii anno secundo Petrum Draconariensem constituit Episcopum. Occubuit anno MCCCXLV.

DRACONARIÆ

XIV. *Marinus* anno MCCCXLV.

Ex Archidiacono in locum defuncti Petri delectus sedem obtinuit octavum Idus Maii MCCCXLV. ejusdem Clementis anno quarto.

XV. *Bernardus* obiit anno MCCCXLIX.

XVI. *Fr Valterius de Coppello* Ordinis Praedicatorum anno MCCCXLIX.

Bernardo successit quintum Idus Januarii anni MCCCXLIX. Pontificatus vero ejusdem Clementis anno septimo.

XVII. *Joannes de Troja* anno MCCCXLIX.

Electus promisit sacro Collegio die 26. Novemb. decessit anno MCCCLXIII.

XVIII. *Fr Marchesanus* an. MCCCLXIII.

Marchesanus, seu Marchesinus Bononiensis Ordinis pariter Praedicatorum Draconariensem obtinuit infulam ab Urbano V. octavo Kalendas Julii hujus anni. Vicarius Generalis fuerat in spiritualibus, et temporalibus Adimarii Abbatis Nonantulae 5 Martii MCCCLXV. ut ex Tabulariis ejusdem Abbatiae dignoscitur. Humanis rebus cessit anno MCCCLXVI.

XIX. *Fr Guido de Monte Furculo* anno MCCCLXVI.

Marchesano demortuo suffectus sexto Idus Novembris Urbani V. anno quinto ex actis Consistorial.

que Civitatensis in Regno Leonis vulgo *Ciudad Rodrigo* Episcopus, Archiepiscopi Compostellani Suffraganeus, est judicandus.

Ugoni verisimiliter redditum putaveris regale rescriptum die XIV. Martii MCCCXXXI. pro earumdem decimarum solutione, quibus iterum, pro more, Domini Civitatis, ac Regiae Bajulationis officiales bellum indixerant. Regio nempe magistratui jussit Robertus » Quod diligenter inquireret, si » hujusmodi Decima, quam Episcopus ipse petebat, ratione dictae Civi- » tatensis Ecclesiae, debebatur, et si Praedecessores sui, et ipse consue- » verunt illam ab antiquis temporibus percipere, et habere; et si per in- » quisitionem ipsam constaret, jam dictum Episcopum, et Praedecessores » ejus Decimam ipsam consuevisse annis singulis percipere, et habere, com- » pelleret Dominos *Civitatis* ipsius, et Officiales eorum ad solutionem in- » tegram dictae Decimae per omnem coercitionis modum, quem cogno- » sceret expedire ».

XV. *JOANNES* anno circiter MCCCXLVII.

Ugoni jam ab anno MCCCXL. demortuo, Joannem hunc successisse putamus, cujus mentio habetur in Bulla Clementis VI. pro Coenobio Casaenovae ordinis Cisterciensis Pinnensis Dioecesis super unione Abbatiae Sancti Joannis in Lamis (hodie *Sancti Matthaei* in monte Gargano, Minorum Observantium, quibus cessit illud monasterium anno MCCCCCCXXVIII. Vide infra in Joanne MCCCCI) data Avenioni anno MCCCXLVII. Ejus fortasse petitioni indulgens Aymericus Presbyter Cardinalis, Legatus, Vicarius, et Regni Balius pro Joanna prima nepte, atque haerede Roberti defuncti die 16. Januarii MCCCXLIII. prolatum Roberti rescriptum sub die XXX. Augusti MCCCXLIV. renovatum, confirmatumque voluit.

XVI. *CHRISTIANUS* anno MCCCXLVII.

Hujus Civitatensis Episcopi, eadem apud nos regnante Joanna, meminit regium Neapolitanum Regestum anno MCCCXLVII. anno MCCCXLVIII. Ad Frequentinam Ecclesiam exinde translatum, eodemque anno defunctum ex Regestis Vaticanis, et serie tum Civitatensium, cum Frequentinorum Episcoporum ab Ughellio redacta docemur. (1)

XVII. *MATTHÆUS* anno MCCCXLIX.

Post aliquot vacationis menses a Christiani translatione, Matthæum Orgathensem Episcopum ad hanc Ecclesiam a Clemente VI. anno MCCCXLIX. decimo tertio Kalendas Junii, anno ejus VII. translatum, ex Regesto Vaticano Epistola 89 probatur.

XVIII. *STEPHANUS* anno MCCCLXVII.

Stephanum hoc anno defunctum Bullæ successoris ostendunt. Hic tamen non successit Raimundo, ut putat Ughellius, quippe qui Civitatensis in Sardinia Episcopus fuit; unde ad Muranensem Ecclesiam in Corsica, non in nostram Civitatensem Sedem translatus ex Vaticanis Regestis noscitur.

(1) *Ughel.* Civitatensis Episcopi Christianus *XI. Col.* 272 *item Frequentini Episcopi XIII. Col.* 295.

XIX. *F.r JOANNES VITERBIENSIS* anno MCCCLXVII.

Stephano per obitum elato Fr. Joannes de Viterbio ordinis Praedicatorum XVII Kalendas Maii, Urbani V. anno V. salutis vero MCCCLXVII. electus conspicitur; eadem apud nos regnante Joanna, quae anno demum MCCCLXXXII. violenta morte sublata est.

XX. *BENEDICTUS.*

Hujus mentio habetur in libro solutionum Praelatorum.

XXI. *PETRUS.*

Successor Benedicti in eod. lib. memoratur.

Sæculum XV.

XXII. *JOANNES* anno MCCCCI.

Electus die X. Julii MCCCCI. pro se, et pro Petro, et Benedicto Decessoribus suis in eodem libro promisit. Huic Clemens V. Avenione, ubi sedem Apostolicam transtulerat, preces Abbatis, et Monachorum Monasterii Sancti Joannis in Lamis pro unione ipsius Abbatiae Cisterciensium Casaenovae, Pinnensis Dioecesis, suis litteris pro diligenti informatione commisit. Voluit Pontifex, ut Joannes, et Archiepiscopus Compsanus personaliter accedentes, probe inquirerent, an hujusmodi incorporatio, et unio expediret, et an posset de personis dicti Ordinis Sancti Benedicti commode reformari; quae vero exinde cognoscerent, fideliter ei referrent. Cumque *Episcopus* Civitatensis, Compsano tunc in remotis agente, retulisset omnia per Abbatem, et Conventum exposita, praevia diligenti inquisitione, vera esse; atque unionem non solum expedire, sed utilem, et necessariam fore Monasterio praedicto Sancti Joannis, ne ad desolationem irreparabilem reducatur, ideo Clemens duabus Apostolicis litteris VI extosui Pontificatus anno altera die 23 Januarii, altera die 20 Februarii, reparatae vero salutis MCCCII Ordini Cisterciensium penitus incorporavit. (1) Mortuum Joannem prodit Ughellius anno MCCCCXII.

XXIII. *JACOBUS MINUTULUS* administrator ann. MCCCCXII.

Quam in deterius Episcopatus nostri, immo et Civitatis ipsius, et provinciae facies per haec tempora vergat ex Eugenii IV. in Nicolao Draconariensi Bulla satis conspicuum, heic vel ipsum subindicat Administratoris officium Jacobo, et Successori tributum. Bellorum vis in transitu Neapolitanae Coronae ab Angioinis ad Aragonenses, pestis insuper aliaeque Reipublicae calamitates, quae Apuliae, et Dauniae in primis Provincias divexabant, *splendidissimam* olim *Theanensium Apulorum Metropolim*, hactenus *Comitatus Civitatensis caput*, desolatum ferme, atque incolis destitutum, suo etiam Pastore privavit. Jacobus certe Minutulus, Canonicus Neapolitanus vix decimum nonum aetatis suae annum adortus, Apostolicae dispensationis, defectu aetatis, beneficio. Administrator dum-

XX. *Jacobus Guidoni* successisse memoratur.

XXI. *Bartholomaeus* anno MCCCLXXXII.

Ordinis Sancti Francisci Alumnum Bartholomaeum, Petrifilium, hoc anno Draconariae sedisse, testis Alidosius de Episcopis Bononiensibus: neque confundendus, ut opinatur Coleti, cum Bartholomaeo de Bononia, de quo infra, tum quia ille Ordinis Praedicatorum, hic Minorum; tum quia distant inter se circiter septuaginta annis; tum denique, quia inter eos heic sedisse comperimus Joannem, Franciscum, et Nicolaum de Tartaglis.

XXII. *Joannes* moritur anno MCCCXCVIII.

XXIII. *Fr. Franciscus de Bardis* Florentinus, Ordinis Eremitarum Sancti Augustini.

Promotus XIV. kalendas Januarii anno MCCCXCVIII. Pro Joanne defuncto, immo et pro Decessore Jacobo promisit in libro *Obligationum Praelatorum* sub Bonifacio IX.

XXIV. *Nicolaus de Tartaglia* anno MCCCCXXXVIII.

Ex Ordine Cisterciensi Episcopus Lesinensis kalendis Augusti anno MCCCCXXXVIII. ab Eugenio IV. creatur Draconariensis Ecclesiae Commendatarius. Eugenii Bullam profert Ughellius *quod*, scilicet, *redditus et proventus ad mensam Lesinen spectantes.* Scitu digna ratio est, qua motus Pontifex id egit, *propter guerrarum turbines, mortalitatem pestes, aliasque calamitates, quae in partibus*

(1) *Apud Ughell. Ital. Sacr. tom. VIII. Archiepiscopi Sipontini, Leonardus Mancinus, LVI. 17. pag. 842.*

taxat hujus Ecclesiae a Joanne XXIII. anno MCCCCXII. creatus (1) nimium collapsae Civitatensis Dioecesis, atque suae amplitudinis, vel magno argumento est.

XXIV. *JACOBUS CARACCIOLUS* administrator anno MCCCCXXV.

Pristino suo decori restituendi spe, sublato Minutulo, *Caracciolum* die XXV. martii in Administratorem pariter hujus Episcopatus constituit Eugenius IV. Verum succrescente in dies Civitatis squalore, atque calamitatibus, e re Eugenio visum tantisper Ecclesiam hanc Lucerino Sacerdotio copulare, pro qua temporanea licet unione Bassastachius tunc Lucerinus Episcopus peculiari se obligatione obstrinxit erga Apostolicam Sedem (2). Diu tamen isthaec Civitatensis ecclypsis non duravit.

XXV. *NICOLAUS* anno MCCCCLXXVIII.

Septimo Idus Februarii anni hujus electum discimus Nicolaum a Xisto IV. Romano Pontifice.

XXVI. *PETRUS* anno MCCCCLXXXIII.

Quinquennio a Nicolai electione Petrum ei substitutum, acta Consistorialia testantur XII. Kalendas Novembris, anno MCCCCLXXXIII. Usque ad Kalendas Julii anni MCCCCI. Civitatensis Ecclesiae habenas rexisse ex eo liquet, quod hoc praecise tempore e Civitatensi ad Larinensem Ecclesiam translatus legatur (3).

SÆCULUM XVI.

XXVII. *THOMAS DE NOLA* anno MDI.

Perspicuum hunc e Neapolitanorum Doctorum Collegio virum, immo ejusdem per triginta annos Vice-Cancellarium, Ordinis Praedicatorum, Civitatensem circa annum MD. evasisse Episcopum, testatur in descriptione Italiae Leander, qui suis temporibus Thomam hujus Ecclesiae Episcopatum obtinuisse fatetur (4) At si nonnisi kalendis Julii anni MDI Petrus e Civitatensi Sede ad Larinensem migravit, non jam anno XD, sed labente CDI. Thomas Petro suffectus omnino putandus. Qui propterea usque ad Januarium anni XDIV, quo successit Pancratius, Civitatis regimen obtinuit.

XXVIII. *PANCRATIUS ROTUNDUS* anno MDIV.

Thomae senio confectus successit Pancratius Rotundus de Fracta die XIX. Januarii CDIV. Paucos post menses Episcopatu abdicasse censendus est, cum die 23 Junii sequentis anni in successorem Robertum habuerit. Romae autem paullo post vitam cum morte commutavit. Cineres ibi ser-

(1) *Ughell. ibid. ex lib. prov. Praelat. Civitat. Ep. n. 18.*
(2)
(3) *Ughell. Larinenses Episcopi n. XV. alias XIII. ibidem pag. 305.*
(4) *Vide Fontana in Theatro Dominicano.*

illis à multis annis citra micuerant, reditus ideo deminuti et deteriorati sunt quod ex illis pontificalis dignitatis decentiam congrue nequeas sustentari, nec non Ecclesia Draconarien cujus fructus, reditus, et proventus, inquit, triginta Floren. auri de Camera non excedunt, a Civitate Lesinen. per decem milliarium spatium distat, ac tanto tempore Pastoris solatio destituta fuerit, quod de hoc nulla memoria existit, nec non incolis, et habitatoribus, Canonicis, et Vassallis careat. Adeo calamitatibus publicis res etiam Ecclesiasticae Danniae nostrae turbabatur. En ultimum Episcopatus Lesinensis nostro huic contermini, et olim consuffraganei exitum.

XXV *Bartholomaeus de Bononia* an. MCCCCL.
De hoc Draconariensi Episcopo per Nicolaum V. electo, videre est Fontana in Theatro Dominicano.

XXVI. *Benedictus Bruno* anno MCCCCLII.
Electus hic Insulanensis Episcopus ad Draconariensem Cathedram transfertur decimo kalendas Augusti hujus anni. Septennio post interfuisse inaugurationi Oliverii Caraphae Archiepiscopi Neapolitani ex Tabulariis illius Ecclesiae colligitur.

XXVII. *Jacobus* anno MDXIX.
Jacobum de *Sancta Severa* Draconariensem Episcopum creatum die 20 Maji an. MDXIX. Acta Consistorialia sub Leone X. perhibent,

vat Ecclesia *Sanctorum duodecim Apostolorum* sub marmoreo lapide a Fratris filiis posito, his verbis:

D. O. M.

Pancratio Rotundo Fractiano Episcopo Civitaten. V. *Optimo vixit.* ann. LXXX. *Mens.* III. D. IV. *Jacobus. et Marius. Fratris Fil. Patruo Ben. Mer. grat. pos. anno* XDVI.

Feb. D. XIV.

XXIX. *ROBERTUS TRIBALDESCUS* anno MDV.

Vir hic summae industriae, atque ingenii electus die 23 Junii XDV. sequenti anno Gubernator Beneventanae Civitatis, et Ducatus Pontificiae Ditionis institutus difficillimis temporibus Cives, finesque Ducatus in Apostolicae Sedis obedientia, et Fide continuit.

XXX. *ANTONIUS DE MONTE* anno MDXVII.

E Bethleemitana in partibus infidelium Ecclesia, ad quam electus fuerat, ad Civitatensem in Beneventana Provincia tunc vacantem translatus die 21 Augusti CDXVII. Antonius de Monte Aretinus.

XXXI. *GASPAR DE MONTE* anno MDXLV.

Perinsigni hoc in Fastis Ecclesiae anno cum Tridentum ex toto Catholico orbe, Fidei statuendae, moribus reformandis, instaurandaeque disciplinae Patres a Petri successore, Christique Vicario, Paullo III. Romano Pontifice ultro citroque convenirent, vita cessit *Gaspar de Monte* Episcopus Civitatis.

XXXII. *LUCAS GAURICUS* anno MDXLV.

Geophanensis hic vir, Philosophicis, atque Astronomicis praecipue elucubrationibus intentus, Civitatensi (non *Ducali*, ut aliquibus visum (1)) infula die 14. Decembris MDCLV, per obitum Gasparis, exornatus legitur. Nimium prognosticis olim vacans, dum Bononiae degeret, et Joannem Bentivolum Patria et domioatu excessurum in anni eius prognostico vaticinatus esset, ab eo captus, praealtaque trochlea suspensus, fune quinquies misere quassatus, ominatae in praedicendo licentiae poenas luit.

Gauricus ipsemet ita de hoc Bentivoli facinore disserit in Tractatu tertio Nativitatum, Tom. II. pag. 1618.

» Ioaones per antiphrasim Bentivolus, in Felsina civitate multos annos » exercuit tyraunidem cum tribus filiis, et plurima nepotum caterva: in » una nocte fecit iugulare circiter decem et octo juveoes de Marescottis. Si » quis vellet enarrare homicidia, et scortationes ab illis perpetratas, es» set profecto impossibile, quoniam Gauricus in quodam Vaticinio impres» so, ut se reciperet ad preces Julii II Pont. Max. persuasit, alioqui ip» se profligabitur cum omnibus suis, et aedes suæ solo aequarentur. Ipse » persuasus a Christophoro Poggio, jussit ut Gauricus quater brachiorum » torturas experiretur. Dein hora quinta noctis fuit infelix, tunc vates, 25

(1) *Nuova Dizion. Storico, voc. L. Gaurico. Nap.* 1793.

DRACONARIAE

An nostri Sancti Severi Jacobus iste sit?

XXVIII. *Alphonsus* anno MDLIV.

XXIX. *Ludovicus Suarez Toletanus* anno MDLIV.

Ultimus, qui inter Draconarienses nominetur, nobisque innotescat Antistes noster Ludovicus est, per cessionem Alphonsi Kalendis Octobris hujus anni ad hanc sedem electus. In Synodo Provinciali Beneventana anni MDLXXI. legitur: *Episcopus Draconarien. absens;* non secus ac *Episcopus Civitat. absens.* Actorum deinde Consistorialium, aliorumque monumentorum Draconariensium Episcoporum silentium, ejusdem sedis suppressionem, atque in ruralem Archipresbyteratum reductionem ab Ughellio traditam subindicat: quod profecto fieri etiam potuit, ut contermino Civitatensi Episcopatui copularetur, eodem Ughellio, Ursino, Sarnellioque vadibus; nostrique Episcopi Draconariensis etiam titulum cum aliis praetulerunt. (a)

(a) *Ex num.* 1.°

» in carceres atros detrusus Itaque Misello vati veritas nocuit. Non multo » tempore post, Iulius pont. Max. intrepidus cum uno exercitu prope I- » molam, et altero in Mutinensium municipio, singulos illos Tyrannos, et » sequaces profligavit, et Palatium ejus fuit solo aequatum, uti omnes no- » runt, et Tyranni omnes illi vitam cum morte commutarunt, et ante o- » bitum atroces poenas dederunt.

Post Praesulatus quinquennium, eo sponte deposito, plenus dierum secessit anno MDLVIII. Ante fores autem Ecclesiae Araecoeli Romae tumulatus, (1) hac cohonestatur Epigraphe.

D. O. M.

Lucae Gaurico Geophonen. Episcopo Civitaten. Obiit die VI *Martii MDLVIII.* Vixit ann. LXXXI. M. XI. D. XXV.

DD. Sebastianus Beneincasa Geophonen. Et Octavianus Canis. Bononien. Haeredes ex testamento. B. C. P.

Episcopum hunc nostrum, Pauli III. Pont. Max. Commensalem, et S. Petri Equitem, magni nominis virum appellat *Ger. Joan. Vossius* (De nat. aut. sive de Mathesi lib III. Tom. III. Opp. omn. Amstel. 1693; pag. 126 140 et 176) Magnam sane in Astrologia ingenii, doctrinaeque laudem adeptus est. Castigavit Tabulas Alphonsinas, nec non illas Regiomontani, et Blanchini; annotationibusque suis illustravit Ptolemaei constructionem magnam. Eiusdem Opera omnia, tribus in folio voll. comprehensa, *Basileae* excusa fuerunt *anno* 1575 in celebri typographica *officina Henricpetrina, curante Ioh. Henr. Paedionaeo Rihano.*

Rem gratissimam lectoribus bibliophilis facturos confidimus, si horumce operum integrum titulum, et Elenchum heic apponamus.

Tomi tres Operum omnium, quae quidem extant, L. Gaurici Geophonensis Civitatensis Episcopi, Astronomi ac Astrologi praestantissimi, omnium bonarum ac humanitatis artium: imprimis vero Mathematicae, et Iudiciariae, seu praenotionis scientiae, ad miraculum usque doctissimi: ingenio plane admirando et divino, Philosophi, omni tam Poeticarum, Logicarum, quam phisicarum, philosophicarum, theologicarumque scientiarum ac dogmatum facultate genereque praeclarissimi: Professoribus et studiosis omnibus Mathematicae vel Judiciariae seu praedictivae artis, ad eam cognosceudam, non tam necessaria, quam utilia: Jampridem summa cura ac singulari studio a suo interitu vindicata, et quasi postliminio revocata, pristinoque decori restituta: et pleraque ante non edita, in unum corpus redacta : . . . cum indicibus rerum, ac verborum omnium copiosissimis, et diligentissimis. Cum gratia et privilegio Caes. Majest. *Basileae*, ex officina Henricpetrina eto.

Accedit Elenchus tractatuum L. Gaurici, qui continentur in horum operum Tomo I.

1. De astronomiae seu Astrologiae inventoribus, utilitate, fructu, et laudibus Oratio, habita in Ferrariensi Gymnasio a L. Gaurico, dum in eodem Mathematicas disciplinas publice profiteretur. 2. Machinae, seu Sphaerae coelestis totius, nec non Planetarum, signorum, omniumque corporum coelestium, ac eorum ordinum, versuum, motuumque descriptio. 3. De Sphaerarum motu, et quinque Planetarum, atque duorum luminarium, secundum quorumdam philosophorum opiniones. 4. Theoremata, et pleraeque additiones utilissimae in tabulis Elisabethae Hispaniarum reginae.

(1) V. *Memorie istoriche della Chiesa, e Convento di S. M. in Araceli del P. Casimiro Romano Roma* 1736 *in* 4. *pag.* 268 e 269.

5. Stellarum fixarum longitudines, et latitudines, earum qualitates, rectificatae per L. Gauricum, volvente anno salutis 1500, quarum Alphonsus rex Hispaniarum observatui esse (sic) in magnitudinibus. 6. Tabulae Aethereorum motuum, secundi vid. mobilis, Luminarium, ac Planetarum Io. Blanchini . . . a Gaurico revisae, et emendatae, omnium ex his, quae Alphonsum sequuntur, quam facillimae 7. Calendarium Ecclesiasticum, ex sacris Literis, probatisque SS. Patrum Synodis excerptum, iuxta omnipotentis Dei mandata in veteri Testamento Moysi data. 8. Calendarium, Iulii Caesaris fasti primorum sex mensium, per Pomp. Gauricum, et Thamirsin sub Capitolinis minis, in antiquo mormore reperti, cuius marmoris altera pars reliquos sex menses sine Fastis continebat — *In Tomo II.* — 1. isagogicus tractatus in totam Astrologiam praedictivam, distributus in quinque partes, etc. 2. Tabulae de primo mobili, quas Directionum vocitant, cum problematibus facillimis, et diligenter examinatis: quibus annectitur Tractatus iudicandi omnium Aphaetarum apotelesmata, de quibus sigillatim, ueque diffuse Claudius Ptolemaeus, nec caeteri scriptores hactenus fecerunt mentionem. 3. Directiones, progressiones, sive inambulationes, ascensoria tempora hilegiorum. Obviationum apochae, et tempora particularia, per hilegiorum directiones examinata, et in singulis huiuscemodi circuitibus apotelespata. 4. Tractatus iudicandi conversiones annuas, sive revolutiones nativitatum, seu geniturarum. 5. Rerum naturalium, et divinarum sive de rebus coelestibus, Lauri Bonincontri Miniatensis libri tres, ab Luca Gaurico recogniti; inque lucem editi. 6. Prognosticon ab incarnatione Christi, anno 1503, usque ad annum 1535 valiturum. 7. Tractatus Astrologicus, in quo agitur de praeteritis multorum hominum accidentibus per proprias eorum genituras ad unguem examinatis: quorum exemplis consimilibus unosquisque de medio genethliacus vaticinari poterit de futuris — *In Tomo III.* Collectanea quaedam de totius mundi machina, ex lucubrationibus L. Gaurici, opera et studio D. Wolf. Weissenburgii discerpta, et in directum ordinem redacta. 2. Miscellanea quaedam ex Fragmentis L. Gaurici, non solum lectu iucunda, sed etiam ad conservandam valetudinem utilissima. 3. Grammatices libellus isagogicus. 4. De ocio liberali, et laude bonarum artium. 5. De illustrium poetarum auctoritatibus aureus liber. 6. De vera nobilitate, et ejus laude libri III.

Neo silentio praetereundum putamus Epigramma, quo Gauricum praeceptorem suum cohonestavit Jul. Caes. Scaliger, Episcopum nostrum inter Heroas collocans (Poem. var. part. I. pag. 294 ed in Bibliopol. Commeliniano 1600, in 8.)

Post leges coeli varias ascriptaque mundo
 Foedera, post superis reddita iura Deis;
Quem vix siderei magnum cepere recessus
 Hoc, hospes, modico pulvere terra tegit.
Vivere dignus erat semper; sed vita futuris
 Auctior, aeterno lumine vita fuit.

XXXIII. *GERARDUS RAMBALDUS* anno MDL.

Veronensibus laudatus Historicis, quippe qui in ingenuis artibus Magister, nobilique sanguine cretus, cedenti Guarino successit die 30 martii MDL Gerardus Rambaldus Veronensis. Undecim annis sedit. Florenti tamen adhuc aetate obiit anno MDLXI.

XXXIV. *FRANCISCUS ALCIATUS* anno MDLXI.

Celeberrimus hic Mediolanensis Juris Consultus, primarius Ticinensis Academiae Juris interpres, ac Pii Papae IV. Prodatarius Civitatensem in Beneventana Provincia, non in Hispania Episcopatum die V. Septembris MDLXI nactus est. Postmodum Presbyter Cardinalis Sanctae Mariae in Porticu creatus doctrina, humanitate, ceterisque virtutibus conspicuus, defuncto Geraldo successit, retinenens Parrochialem Ecclesiam de Comurana *Nullius*, seu Ferrariensis Dioecesis, prout ex actis Consistorialibus eruitur. Absens hujus Ecclesiae clavum tenuit etiam post Civitatis desolationem a Turcis patratam an MDLXXI annis plus minus XIX. Tanti viri effigiem videre est apud Ciaconium. Nostrae Severopolitanae Ecclesiae benemerentissimus anno MDLXXX Civitatensem Cathedram Gregorii XIII. auctoritate, et favore, eodem anno, cum juribus, Decimis reditibus, Dignitatibus, et privilegiis, justis de causis in Sancti Severi Ecclesiam transferendam dimisit, prout sequens ejusdem Pontificis testatur Constitutio.

GREGORIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

» Pro excellenti præeminentia Sedis Apostolicæ, in qua post Beatum Petrum Apostolorum » Principem, quamquam imparibus, pari tamen auctoritate constituti sumus, dirutas Eccle- » sias temporum injuria, aliisque calamitatibus supprimere, ac illarum loco in agro irrigue » militantis Ecclesiæ novas Episcopales Sedes, et Ecclesias plantare Romano Pontifice dignum » arbitramur, ut per ejusmodi novas plantationes populorum augeatur devotio, divinus cultus » floreat, animarum salus subsequatur, et loca humilia illustrentur, idque nos eo libentius » agimus in iis locis, in quibus, benedicente Domino, incolas, et alios Christi fideles multi- » plicasse noscuntur, ut propagatione novæ Sedis, et assistentia honorab. Præsulis cum decen- » ti Ministrorum numero fideles ipsi in devotione persistentes, et etiam devotionis hujusmodi » augmentum suscipientes, æternae felicitatis præmium, Deo eorum pium propositum adjuvan- » te, facilius consequi mereantur. Sane cum *Civitat.* in Regno Neapolis consistens, penitus de- » stituta, et solo æquata a nullis incolis habitetur, et vix vestigia Cathedralis Ecclesiæ in » ea appareant, et ob id Ecclesia Civitat. amplius in rerum natura non existat; Nos atten- » dentes, quod si ipsa Ecclesia Civitaten. certo modo Pastoris Solatio destituta, nomen, ti- » tulus, et denominatio Cathedralis Ecclesiæ perpetuo supprimerentur, et extinguerentur; Ar- » chidiaconatus vero, qui major post Pontificalem, et Archipresbyteratus ipsius Ecclesiae, » qui secundæ inibi dignitates existunt, ad infrascriptam erigendam Ecclesiam transferrentur, » ac Oppidum *S. Severi* nullius Dioecesis ejusdem Regni, quam insigne, ac moenibus, at » Turribus cinctum est, necnon frequentem populum, et quamplurimos incolas nobiles conti- » net, et in quo quatuor Parochiales existunt, in civitatem, et Parochialis Ecclesia B. Ma- » riæ Virginis ejusdem Oppidi, quae satis venusta, ac frequenti numero Sacerdotum, et Mi- » nistrorum Ecclesiasticorum referta, necnon omnibus ad divinum Cultum necessariis luca- » lentes instructa, et alioquin insignis, in Cathedralem Ecclesiam sub invocatione ejusdem B.

» Mariæ Virginis cum alia dignitate, et duodecim Canonicatibus, totidemque præbendis, duo-
» bus perpetuis simplicibus, personalem, residentiam requirentibus beneficiis ecclesiasticis bene-
» ficiatis nuncupandis erigeretur, et institueretur, necnon Ecclesiae Civitat. ac Archidiaco-
» natus, et Archipresbyteratus præfatorum bona, fructus, redditus, proventus, jura, obven-
» tiones, et emolumenta quæcumque, eidem Ecclesiae erigendae, illiusque Episcopali, et
» Capitulari mensis respective etiam perpetuo applicarentur, inde profecto cleri, et populi
» salus cum Ecclesiæ B. Mariæ Virginis, ac Oppidi praedictorum decore longe magis prove-
» nirent; praemissis itaque, et aliis rationabilibus causis adducti, habita super his cum Ve-
» nerab. Frat. nostr. deliberatione matura, de illorum consilio, et assensu, ac Apostolicae
» potestatis plenitudine in dicta Ecclesia Civitaten. nomen, et titulum, et denominationem
» Cathedralis Ecclesiae Apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo supprimimus, et
» extinguimus, Archidiaconatum vero, et Archipresbyteratum suppressae Ecclesiae hujusmo-
» di ad dictam erigendam Ecclesiam transferimus, necnon Oppidum in Civitatem S. Severi
» nuncupandam, ac Ecclesiae B. Mariae Virginis hujusmodi in Cathedralem Ecclesiam sub
» invocatione ejusdem B. Mariae pro uno Episcopo Severi nuncupan. qui eidem Cathedrali
» Eccles. praesit, illusque aedificia ampliet, et ad formam Cathedralis Ecclesiae redigat,
» Episcopalem, et canonicales domos construi, et aedificari faciet, omnimodamque in Cle-
» rum, et populum praedictum jurisdictionem Episcopalem exerceat, necnon omnium, et
» singulorum beneficiorum Ecclesiasticorum in Civitate S. Severi, ac infra assignanda Dioe-
» cesi pro tempore vacantium dispositionem ordinario jure, aliaque omnia, quae ad munus
» Episcopale pertinent, ac Archiepiscopo Beneventano jure Metropolitico subsit, necnon in
» eadem Cathedrali Eccl. unum Archidiaconatum, qui inibi post Pontificalem major, et pro
» Archidiac. olim Civitat., et unum Archipresbyterum pro Archipresbytero, qui in erecta
» Ecclesia hujusmodi animarum curam hactenus exercuit, et in futurum exercebit, qui se-
» cunda; ac unum Primiceriatum pro Archipresbytero olim Civitaten. qui tertia, et ultima
» dignitates inibi existant, ac duodecim Canonicis praebendatis, qui omnes insimul Capitu-
» lum d. Cathedralis Eccl. constituant, necnon duo perpetua simplicia, et personalem resi-
» dentiam requirentia beneficia Ecclesiastica, beneficiata nuncupanda pro duobus Clericis be-
» neficiatis nuncupandis. Praeterea in ea Episcopalem dignitatem cum sede, praeeminentiis, ho-
» noribus, privilegiis, et facultatibus, quibus aliae Cathedrales Ecclesiae de jure, vel consuetu-
» dine, aut alias quomodolibet utuntur, et potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gau-
» dere poterunt, quomodolibet in futurum, necnon Episcopali, et Capitulari mensis, aliisque
» Cathedralibus insignibus ad Omnipotentis Dei, ejusdem Beatae Mariae laudem, totiusque
» triumphantis Ecclesiae gloriam, et fidei Catholicae exaltationem, auctoritate, et tenore prae-
» fatis perpetuo erigimus, et instituimus: ac Oppidum Sti. Severi praedictum civitatis, et
» Ecclesiae Bæ. Mariae Cathedralis, necnon habitatores, et incolas hujusmodi civium nomi-
» ne, et honore decoravimus. Ulterius dictae erectae Ecclesiae Oppidum Sti. Severi pro Ci-
» vitate, necnon olim civitatem Civitaten: totumque illius territorium, oppida, terras, vil-
» las, et alia loca olim in dioecesi Civitaten. existentia, ac etiam locum Turris Majoris
» Nullius dioecesis, ejusdem loci Turris Majoris, et civitatis Sti. Severi territoria et districtus
» pro Dioecesi, necnon Ecclesiasticas pro Clero, et Saeculares personas in civitate Sti. Seve-
» ri, et loco Turris Majoris hujusmodi, ac territoriis, oppidis, terris, villis, et aliis locis
» praedictis habitantes pro Populo, auctoritate, et tenore praemissis pariter perpetuo concedi-
» mus, et assignamus; ac civitatem dioecesim, clerum, et populum hujusmodi futuro Epis-
» copo S. Severi, quoad Episcopalem, et dicto Archiepiscopo, quoad Metropoliticam ordi-
» nariam jurisdictionem, et superioritatem, ita quod dictus locus Turris majoris non amplius
» nullius Dioecesis, sed post hac S. Severi Dioecesis existat, subiicimus, necnon ruralem Ec-
» cles. Rectoriam, seu Praeposituram nuncupatam, olim Monasterium SS. Petri, et Severi
» Ordin. Sti. Benedicti dicti Oppidi Turris Majoris, quam venerab. Frater noster Jacobus
» Episcopus Aprutin. nuper in commendam ad ejus vitam ex dispositione Apostolica obtine-
» bat, ac cujus, ac illi forsan annexorum fructus, redditus, et proventus trigentorum duca-
» torum auri de Camera secundum communem aestimationem valorem omnium, ut accepimus,
» non excedunt, commenda hujusmodi ex eo quod idem Jacobus Episcopus, illi, et omni juri
» sibi in dicta Rurali Ecclesia, vel ad illam quomodolibet competentia hodie in manibus no-
» stris sponte, et libere cessit, nosq. cessionem hujusmodi duximus admittendam, cessante
» adhuc eo quod ante commendam ipsam vacabat tunc vacantem, cum annexis hujusmodi
» praediis, proprietatibus, ac omnibus juribus, et pertinentiis suis, omniaque, et singula

» praedia, proprietates, census, decimas, primitias, cæteraque bona, fructus redditus, proventus, et jurisdictiones, actiones, et jura, ac alia emolumenta quaecumque, olim Mensae Episcopalis, et Ecclesiae Civitaten. et quae hactenus ad ipsam Mensam Episcopalem, Episcopum, et Ecclesiam Civitaten. quomodolibet, et ubilibet spectabant et pertinebant Episcopo pro ejus, et Episcopo S. Severi pro tempore existenti, Capitulari autem mensae erectae Eccl. hujusmodi illiusque massa communi pro dignitatum, Canonicatuum, et praebendarum, aliorumque beneficiorum in ea erectorum dotibus, illaque pro tempore obtinentium alimentis necessariis omnia, et singula fructus, redditus, et proventus, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque, Beatae Mariae in Cathedralem erectae, necnon Archidiaconatus translatorum praedictorum fructus, redditus, proventus, obventiones, et emolumenta, quaecumque, ita ut ex dicta massa aliquid certum in præbendam dictis Archidiacono, Archipresbytero, et Primicerio, necnon Canonicis, et Beneficiatis constituatur, ac reliqua, quae detractis praebendis hujusmodi, dictae Cassae supererunt, pro rata servitii ab unoquoque eorum praestiti postmodum inter ipsos modo, et ordine a futuro Episcopo S. Severi praescribendo dividantur, auctoritate, et tenore praefatis etiam perpetuo unimus, annectimus, et incorporamus, ita quod liceat pro tempore Episcopo S. Severi olim massae Episcopalis, et Ecclesiae Civitaten. Rectoriaeque praedictarum, ac Capitulo, et Beneficiatis praedictis ipsius erectae Ecclesiae, necnon Archidiaconatus, et Archipresbyteratus translatorum hujusmodi fructuum, redditaum, et proventuum, jurium, obtinentium, et emolumentorum corporalem possessionem per se, vel alium, seu alios, propria auctoritate respective libere apprehendere, et perpetuo retinere, illaque percipere, colligere, levare, exigere, recipere et recuperare, arrendare, locare, et in eorum usum, et utilitatem respective convertere, cujusvis licentia desuper minime requisita, eximunt; irritum, et inane, si secus super his a quoquam contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostris de non tollendo jure quaesito, ac unionibus committendis ad partes vocatis, quorum interest, necnon Lateranen. Concil. novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis, fieri prohibentis, aliis constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, necnon dictarum Ecclesiarum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque Indultis, et literis nostris, illisque eorum personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu proprio, et ex certa Scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, et etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma illius tradita observata inserti forent praesentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamos, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, et extinctionis, translationis, erectionis, institutionis, decorationis, concessionis, assignationis, sublationis, unionis, annexionis, incorporationis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis aotem hoc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum se noverit incursurum.

» Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo, die 9 Martii, Pontificatus nostri anno decimo.

SANCTI SEVERI EPISCOPI.

Sanctum Severum in Capitanata, cujus luculenta sub Gregorio VII, Gelasio II, atque Innocentio III Fidei, et vetustatis vestigia comperimus, prodidimusque (1), ejusque Civitatensi Cathedrae ab his exordiis subjectionis monumenta protulimus, immerito *nuperae conditae Ci-*

(1) *Vid. supra*

vitatis titulo ab Ughellio taxatum putaveris. Nedum enim civium numero, nobilitate, atque industria, agri ubertate, et cultura, domorum amplitudine, ac frequentia, ipsorumve superiorum provinciae Magistratuum tunc temporis residentia conspicuum: verum etiam ipsius remotae, sacraeque antiquitatis honore, dignitatis etiam Episcopalis incremento dignum haud injuria Gregorius XIII censuit.

Licet autem in translationis Diplomate insigne hujusmodi Oppidum, et turribus cinctum *Nullius Dioecesis* dicatur, quod etiam de Turri Majori subjungitur, idque inter novissimas *Civitatis* calamitates, ac vicissitudines sensim obtinuisse putandum; dum tamen uterque locus cum Civitatensi Dioecesi, huic nostro conficiendo Episcopatui auctoritate Apostolica copulatur, mutuo potius nomine, vel residentiae loco, nativo veluti Episcopo restituitur. Quinimmo nec ipso penitus mutato nomine, cum *Civitatis* etiam denominationem, *Sancti Severi* titulo, tam in subscriptionibus, quam in sigillo Episcopali, nostrates ab initio huc usque adhibere consueverunt Episcopi. Quid? Quod Sancti Severi Cathedrae Episcopali, *Civitatem, et Draconariam unitas in sua pastorali prima Encyclica ad Clerum, Populumque Civitatis Dioecesis, et Provinciae Episcopos* nuper electus Beneventi Archiepiscopus nosterque Metropolita Ursinus die 80 maii 1686 (1) conceptis verbis fatetur; nec aliter laudatissimus Praedecessor noster Felix de Matta in actis Provincialis Synodi Beneventanae XIV, anni 1698, subscribitur. — *Ego Carolus Felix de Matta Episcopus Sancti Severi, Civitaten, et Draconarien consentiens subscripsi.*

I. *MARTINUS DE MARTINIS* anno 1581.

Novam itaque Sedem, jam ab anno circiter erectam, per veterem eumque expertissimum virum egregiumque Theologum, e Societate pridem Jesu Presbyterum, tunc Pharensem Antistitem Martinum de Martinis Aquilanum, ordinatam rectamque voluit Gregorius. Die igitur XXVIII Februarii, anni 1581, primus hic Sancti Severi Episcopus est designatus: Ast dum novam ingrederetur Spartam, ac ferme dum ordiretur, succisus, die XXV Septembris sequentis anni 1582 e vivis sublatus omnium expectationem, et vota defraudare visus est.

II. *GERMANICUS MALASPINA* anno 1583.

Quod *de Martinis* ex voto non cessit, obtigit profecto ejus successori Germanico Liguri, ex vetusta, ac perinsigni de Marchionibus *Malespinis* familia, die XXVII Aprilis hujus anni in Episcopum Sancti Severi adjecto. Apostoli jussum: *omnia secundum ordinem fiant*, alta tenens mente repostum, noviter suae erectae Sedis Episcopalis, atque Dioecesеos recte ordinandae diligenter studuit applicare. Capituli quidem tres dignitates ex utriusque Cleri Civitatensis, inquam et Sanctae Mariae in erectionis Bulla, nec non duodecim Canonicos, et duos Beneficiatos ejusdem Cathedralis servitio addicendos statuerat Gregorius. Redituum, Praebendarumque tamen singulis Capitulo membris adsignationem futuri Episcopi Canonico judicio, atque auctoritati, ex utriusque Ecclesiae massa, dividenda reliquerat. Germanicus autem noster, ad instar Collegii, Indultique Apostolici duodecim Canonicis praefinitis, duos insuper Beneficiatos adjiciendos ratus, mox divino cultui augendo, Ministrorumque sufficienti numero comparando, ad quatuor Beneficiatorum ministerium efferre satius ducens, id ab ipso Gregorio efflagitare, atque impetrare, anno sui Pontificatus XIII, procuravit. Quod, cum morte praereptus Apostolicis litteris Gregorius firmare nequiverit, per Successoris Xisti V. Bullam firmandum curavit.

Cum vero ex hoc monumento nedum Capitularium Dignitatum, Canonicorum, atque Beneficiatorum natura, et numerus, verum etiam ipsa inter eos redituum distributio tanti Praesulis studio parata elucescant, operae pretium ducimus, ad futuram etiam rei memoriam, heic transcribere.

» Dudum siquidem felicis recordationis Gregorius Papa XIII Praedecessor noster in erectione
» Cathedralis Ecclesiae Sancti Severi per eum facta in ea unum Archidiaconatum, qui post
» Pontificalem major pro uno Archidiacono, et unum Archipresbyteratum, qui secunda pro
» uno Archipresbytero, ac unum Primiceriatum, qui tertia inibi Dignitates existerent pro
» uno Primicerio, necnon duodecim Canonicatus, et totidem Praebendas, pro duodecim Ca-

(1) *Apud Sarnel. memor. Cronol. cit. pag.* 188.

» nonicis, ac duo perpetua Simplicia Beneficia Ecclesiastica pro duobus perpetuis Benefi-
» ciatis, in eadem Ecclesia perpetuo erexit, et instituit; ac de ipsis Dignitatibus personis
» idoneis providit, prout in litteris ipsius Praedecessoris desuper confectis plenius continetur.
» Et deinde eidem Praedecessori pro parte Venerabilis Fratris nostri, tunc *Germanici* Episco-
» pi *Sancti Severi* exposito, quod si ultra supradicta, duo alia perpetua simplicia Beneficia
» Ecclesiastica in dicta Ecclesia erigerentur, et instituerentur, ex eo profecto eiusdem Eccle-
» siae majori decori cum divini cultus et ministrorum numeri incremento consultum foret;
» ac pro parte eiusdem *Germanici* Episcopi eidem Praedecessori hoc humiliter supplicato;
» quatenus duo alia Beneficia Ecclesiastica pro duobus aliis perpetuis Beneficiatis in dicta Ec-
» clesia erigere, et instituere, ac alias in praemissis opportune providere de Benignitate Apo-
» stolica dignaretur. Praefatus Praedecessor, qui Ecclesiarum quarumlibet venustatem, et
» decorem, ac in eis ministrorum Ecclesiasticorum numerum adaugeri suis potissimum tem-
» poribus sinceris desiderabat affectibus, ipsum *Germanicum* Episcopum a quibusvis excom-
» municationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, et
» poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet
» innodatus existebat, ad effectum infrascriptorum dumtaxat consequendum, absolvens, et ab-
» solutum fore censens, hujusmodi supplicationibus inclinatus, sub Datum Romae Idus Janua-
» narii Pontificatus sui anno XIII, duo alia perpetua simplicia Beneficia Ecclesiastica pro duo-
» bus aliis perpetuis Beneficiatis in eadem Ecclesia, sine alicujus praejudicio, Apostolica Au-
» ctoritate erexit, et instituit. Et ne Dotes Dignitatum, ac Canonicatuum, et Praebendarum,
» necnon Beneficiorum praedictorum incertae forent, quod fructus, redditus, et proventus
» mensae Capitularis dictae Ecclesiae dividerentur inter eos, hoc modo v. g. Quod quilibet
» Dignitates hujusmodi obtinentes quatuor, Canonici tres, Beneficiati vero praedicti unam par-
» tem cum dimidia alterius similis partis perpetuo haberent, et perciperent eadem Apostoli-
» ca auctoritate ordinavit. Nec non Archidiacono, Archipresbytero, et Primicerio, et Cano-
» nicis dictae Ecclesiae tunc, et pro tempore existentibus, ut de incertis perpetuis futuris tem-
» poribus ipsi tam in dicta Ecclesia, et illius choro et Capitulo, quam in Processionibus,
» et aliis quibuscumque actibus publicis et privatis *Almutiis Albis* cum *Tottis*, uti, illasque ge-
» stare libere, et licite valerent, dicta auctoritate de speciali gratia indulsit, non obstanti-
» bus Constitutionibus, et Ordinationibus Capitularibus, ac dictae Ecclesiae juramento confir-
» matione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, et Consuetudinibus contra-
» riis quibuscumque. Ne autem de absolutione, erectione, et institutione posterioribus Statu-
» to, Ordinatione, et Indulto praedictis pro eo, quod super illis dicti Praedecessoris ejus su-
» perveniente obitu Litterae confectae non fuerint, valeat quomodolibet haesitari, dictus *Ger-*
» *manicus* Episcopus illorum frustretur effectu; volumus, et dicta auctoritate decernimus, quod
» Absolutio, Erectio, et Institutio posteriores, Statutum, Ordinatio, et Indultum Praedeces-
» soris hujusmodi, perinde a dicta die mensis Januarii, suum sortiantur effectum, ac si super
» illis ipsius Praedecessoris litterae sub ejusdem diei data confectae fuissent, prout Superius
» narratur. Quodque praesentes litterae ad probandum plene absolutionem, Erectionem, et
» Institutionem posteriores, Statutum, Ordinationem, dt Indultum, Praedecessoris hujusmodi
» ubique sufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur, non obstantibus
» omnibus supradictis » (1).

Gregorii itaque, ac Xisti vestigiis inhaerens, ad divisionem praediorum, censuum, aliarumque Capituli possessionum iuris ordine servato, deveniens anno circiter 1590, praevia diligenti inquisitione, ad singularum Praebendarum quoque singulis Capitularibus portionem processit, omnium assensu atque declaratione accedente, tum de accipienda portione Terrarum pro eorum Praebenda, cum de divisione facta, mediantibus Peritis, servatisque servandis. Praebendarum nomina, et bona cum in editis Capitularibus prostent, enumerare supervacaneum arbitramur. (2)

---

(1) *Vedi* l'Allegazione di Giammaria Scorza *de'* 18 *dicembre* 1751 *per la Catedrale di S. Severo. Cap.* 1. *parag. II. pag.* 30, *et seq.*

(2) *Ib id. Cap.* 1. *pag.* 23, 31, *et seq. Napoli* 18 *dicembre* 1751.

Poenitentialem pariter Praebendam ad Tijrentini libellam instituit, eique Abbatiam, Ecclesiamque *S. Mariae di Oliveto*, cum suis praediis, ac reditibus sine alio, quam sui officii onere, adnexuit. Ecclesiae Cathedralis aedem unica tunc navi constantem, populique numero continendo imparem noscens, utraque laterali classe, atque adeo affabre constructo munificentissime adauxit.

Synodum Dioecesanam, quam novimus sane primam, plurimumque a Successoribus commendatam celebravit, atque edidit. Civitatis, aeque ac Dioecesis saluberrimam accuratamque Visitationem instituit; cujus acta, in tantam Dioecesanorum monumentorum jactura, per miraculum ferme integre servata atque a nobis reperta diligentissimeque in Episcopali Archivo, (quem penitus dissitum in nostro adventu reperimus, atque ex integro conficiendum curavimus) custodiri jussa, primaevam hujus tunc nascentis Ecclesiae faciem aliquatenus exhibent.

Sanctimonialium peculiarem curam suscipiens, eorumdem Monasterium sub titulo tunc *S. Mariae*, nunc *S. Laurentii* ob insignem quam servat S. M. reliquiam, Ordinis S. Benedicti ad incitas eo tempore vergens, nedum de suo temporaliter juvit, verum etiam Ordinationibus et praeceptis a regula S. Benedicti depromptis ditavit. Duodenarium in eo Monialium repertum numerum per decretum etiam Synodi, tunc servandum declaravit decreto S. Visitationis diei V Septembris 1591. Ejusdem immo reformationi animum adjiciens, Moniales ex Hetruria huc ad reformandas Apuliae Moniales mittendas curavit, aliaque salubriter edixit earumdem bono, atque oeconomiae; quo sane factum, ut intra paucos annos ejusdem Monasterii fama, et vires mirum in modum increverint.

Dioecesis etiam bono consulens, Turris Majoris animas, suo durante regimine, ita excrevisse comperiens, ut unicus Archipresbyteri, S. Nicolai scilicet, opera, uniusque hujusmodi Paraecialis Ecclesiae fabricae tot instituendo, capiendoque populo pares non essent; novae erigendae Paraeciae ad populi preces, et commoditatem manum adjutricem praebuit. In relatione ad Sacra Apostolorum limina sub Clemente VIII, die XII Maii 1693, novae hujus Paraeciae necessitate exposita, ipsiusque erigendi facultate obtenta, eamdem Archipresbytero, et Clero S. Nicolai, Administratoribusque Ecclesiae S. Mariae *de Strata* annuentibus, aliisque cunctis etiam ordinibus adnitentibus, in modo memorata S. Mariae Ecclesia ad instar Canonum erexit, atque a tribus tunc Clericis coadjuvari praecepit.

Ad grandia factus Nuntii Apostolici Neapoli prius munere functus, in Polonia postmodum Cardinali Aldobrandino, Clementis Papae octavi nepoti in Legatione ad Romanum imperium, et Transilvanos contra Turcas anno 1601 collateralis datus est. Cardinalis demum et in pectore reservatus die XI Junii 1604, antequam publicaretur Romam rediturus, Cracoviae die XI Octobris occubuit. In Cathedrali olim diruta sequens de eo marmor prostabat.

GERMANICVS MARCHIO MALESPINA EPISCOPVS
APVD POLONORVM REGEM PRO SEDANDIS REIP
CHRISTIANAE CONTROV INTERNVNTIVS APOSTOLICVS
CVM POTESTATE LEG. ODEVM POS. ET ORNAV.
ANNO DOMINI M.

III. *OCTAVIUS*, vel Octavianus *DE VIPERA* anno 1604.

Beneventanus hic Patritius ex antiquis Oppidi Viperae Comitibus a Sua Patria ad summos Pontifices Innocentium IX, et Clementem VIII Ab-Legatus; cum Patriae Apostolicaeque Sedis negotia fideliter gessisset, Arci Beneventanae Praefectus constitutus ab eodem Clemente, die XXVI Septembris 1595; anno postmodum 1604 die XV Decembris S. Severi Sedem adeptus est. Quam dum omni studio, ac pietate regere nititur, vix biennium adortus, e mortalitatis stadio excessit. De Fratre optimo hac Epigraphe Marius Archidiaconus Beneventanus Fabritius, et Mercurius Fratres bene sunt meriti.

D. O. M.

OCTAVIANO DE VIPERA
GENERE DOCTRINA VITAE INNOCENTIA
AC MORVM SVAVITATE
CLARISSIMO
VRBIS BENEVENTANAE APVD INNOC. XI
ET CLEMENTEM VIII PONT. MAXIMOS
SVMMA ANIMI PRVDENTIA
TVTELAM AGENTI
SANCTI SEVERI EPISCOPO VIGILANTISSIMO
VITA LICET BREVIORE A NATVRA DATA
BENE REDDITAE SEMPITERNAM
ADEPTO
VIXIT ANNOS XLII MENSES VIII DIES XIII
FABRITIVS ET MERCVRIVS
FRATRI OPTIMO.

IV. *FABRITIUS VARALLUS* anno 1606.

Nobilis Romanus Matthaei, et Juliae de Corvara Filius, Hieronymi sub Paulo III Cardinalis nepos, Urbano VII affinitate conjunctus, ab ipso educatus, Perusiae litteris institutus utriusque juris lauream meruit, vir morum comitate omnibus carus. Vaticanae Basilicae Canonicata insignitus, Urbano brevi defuncto, fortunae primordia vix tunc delibavit. Utriusque signaturae Referendarius a Clemente VIII, deinde Melitanae Insulae Inquisitor, sub Paulo V die V Mai S. Severi Episcopus creatus est. Nuntius item Apostolicus *Neapoli*, tum ad Helvetios, Rethosque missus, dum eo in munere cum laude versatur, S. Romanae Ecclesiae Cardinalis renuntiatus est die XIV Novembris. XXIV Decembris 1608 Galero, ac titulo S. Augustini donatus die X Decembris ejusdem anni, variisque Apostolicae Sedis Congregationibus praepositus, eadem semper animi moderatione, ac prudentia haec munia obivit. Ut liberius Romae universalis vacaret Ecclesiae servitio S. Severi Cathedram Pontifice annuente, dimisit XXIII Martii anni 1615. Maxima apud Paulum, Gregorium XV, et Urbanum VIII, quorum comitiis interfuit, gratia valuit. Die demum XXVII Novembris 1624 in urbe decedens, atque in Aede sui tituli prope Patruum Cardinalem tumulatus, hoc marmoreo cohonestatur elogio.

D. O. M.

FABRITIO VARALLO
ROMANO
HIERONYMI CARD. VARALLI FRATRIS FILIO
A PAVLO V POST NVNCII APOST. MVNVS
APVD HELVETIOS
IMPIGRE ADMINISTRATVM
AD SACRAM PVRPVRAM ADMOTO
CVI PROMERENDAE VRBANI VII
CONSANGVINEI SVI
APVD QVEM ADOLEVERAT
EXEMPLIS INSTRVCTVS
OPTIMI PONTIFICIS MORES
EXPRESSIT
QVI SVBLATVM REPENTE PRINCIPEM
SIBI ALIQVANDO REPRAESENTARET
OBIIT ANNO DOMINI MDCXXIV
AETATIS SVAE LIV.

V. *VINCENTIUS CAPUTUS* anno 1615.

Ex libera resignatione Cardinalis Varalli quartus S. Severi Sedem *Vincentius Caputus* de Ruvo, olim per quinquennium Vicarius Generalis Barensis, nactus est die XXIII. martii 1615. Qua fuerit vel viridi aetate promotus ex primae liquet *Ordinationis* per eum habitae regesto. *Anno scilicet a navitate Domini 1615, Pontificatus Pauli V anno V, Praesulatus nostri anno primo, aetatis nostrae XXVII, die 24 Mensis maii* (1). Sequenti anno Ecclesiam Paraecialem, et Receptitiam S. Joannis visitans ob tenuitatem tunc illius redituum, ipsis efflagitantibus, ad octo dumtaxat comprehenso Archipresbytero, sine praejudicio actualium, ejusdem Participantes reduxit (2). Anno 1617 Barium adveniens, Clero Patritiisque expostulantibus, de licentia illius Archiepiscopi, Ordinationem, et Confirmationem habuit, et Pontificalia exercuit. Ministerium suum per decennium magna animi alacritate absolvit. Episcopus Andriae designatus, atque in Consistorio propositus die XIX Februarii 1625, cum interim obiisset Eminentissimus *Varallus* fructuum hujus Mensae Episcopalis Reservatarius, translationi renuntiare curavit; ab Urbe tamen rediens Puteolis decessit.

VI. *FRANCISCUS VENTURIUS* anno 1625.

In lucem editus Florentiae die V Septembris 1576, parentibus Joanne Senatore, et Flammetta Victoris, Petri clarissimi viri nepte ex antiqua nobilique familia Venturia, litteris, ac philosophia apprime imbutus, Pisisque lauream doctoralem adeptus, Canonicus Florentinus creatus est ab Alexandro tunc Cardinali Mediceo; quem Pontificem Maximum Leonem XI. nuncupatum paullo post defunctum funebri oratione laudavit; quod munus etiam inter justa Henrico IV magno Galliarum Regi in Ecclesia S. Laurentii Florentiae, solemniter persoluta, pari laude perfecit. Romae Joannis Cardinalis Bontii, Matris Consobrini auditor, sub Paulo V utriusque signaturae Referendarius constitutus, ingenio, eruditione, moribusque praeclarus, ab Urbano VIII die X Junii 1625 S. Severi Episcopus est renuntiatus. » Episcopatus honorem » (ut Jani Nicei Eritrei utamur elogio) ita sibi creditum, et commissum accepit, ut se omni» um officiorum obstringi religione arbitraretur; itaque in eo administrando, non nomen ami» citiae, non alterius cujusvis necessitudinis vinculum, non hominum potentiorum gratia, non » utilitatis privatae ratio, plus apud eum valuit, quam mos majorum, quam Leges, quam » veritas, ac ratio; atque ut esset sui juris, et mancipii Ecclesia, cui non nemo conabatur » libertatem eripere. Quo tempore mira quaedam, et horribilia divinae animadversionis exem» pla edita sunt in improbos et contumaces: nam, cum nulla eos sceleris quod patrarant » poenitentia commoveret, nec darent operam ut ab eo, qui ipsos devovisset, ressacrarentur, » atque ex devotis eximerentur, factum est, ut tanti repente terraemotus extiterint, ut oppi» dum corruerit, multis ejus agri locis labes facta sit, terra desederit, et tamquam apertis » faucibus, villas, homines, greges, et armenta deglutiret, et in ventre reconderet, ipse » vero Episcopus tanquam Loth alter, vix vivus evaderet. (Quod sane flagellum die 30 Julii 1627 hora diei decima septima Beneventi etiam, et per totam praesertim Apuliam magna Urbium, populorumque vastatione contigisse memorat Sarnellius (3).)

Vitam S. Andreae Corsini, suae Patriae Archiepiscopi magna elegantia, stylo uberiori Episcopus et ipse conscripsit. Post S. Severi calamitates ob terraemotus fere per biennium continuos e civitate exulare coactus; inita demum transactione super Decimis cum principe S. Severi a Sangris die 7 maii 1629, quae habetur adhuc in Platea Cleri S. Mariae Turris Majoris, Romae a Pontifice adprobata, Episcopatum dimisit. Archidiaconus Florentinus tum electus, dum majora ei reservantur, e vivis ereptus die 13 Novembris 1641, splendido funere inibi elatus, illustri cenotaphio ab Apatistis fuit cohonestatus, quod legere est penes Ughellium.

---

(1) *Diversorum libro in nostro Episcopali Archivo servato.*
(2) *Acta Visitationis Sacchetti.*
(3) *Vid. etiam Sarn. cit. mem.*

VII. *DOMINICUS FERRUS* anno 1629.

Resignatario Venturio die 3 Decembris hujus anni 1629 successit Dominicus Ferri Campi Lyciensis Dioecesis. Cathedralem Ecclesiam a terrae-motibus quassatam reperiens, diu hac illac Episcopalia munera, et sacras, solemnesve Ordinationes in primis celebraturus, vagare coactus, in regesto sacrarum ordinationum comperitur, quousque ipsam restauravit Ecclesiam. Tot inter discrimina rerum suum gregem perlustrare non omisit, ac reliquis Pastoris sollicitі muneribus functus, vitam cum morte commutavit anno 1635.

VIII. *FRANCISCUS ANTONIUS SACCHETTI* anno 1635.

Cusentinus, Julii Cardinalis Sacchetti Florentini in Urbe Auditor, die 1. Octobris 1635 in nostrum Episcopum electus, strenuus sui muneris partes per quindecim annos implevit. Civitatem, ac Dioecesim sedulo perlustravit. Conventionem super quantitate Decimarum Episcopali Mensae debitarum cum utili domino tunc Andrea Gonzaga, et Universitate Terrae S. Pauli inisse anno 1641 memoratur. Ecclesiam Paroecialem *latini ritus* in Terra S. Pauli auctoritate etiam Apostolica erexit anno 1641, praevia dotatione ejusdem facta die 29 Decembri 1641 per eundem feudi illius utilem Dominum; qui propterea ejusdem Patronatum cum jure Archipresbyterum nominandi sibi voluit reservatum. In Bulla tamen institutionis primi Archipresbyteri sic praesentati, haec notatur adjecta conditio: *ut nullum ius ullo unquam tempore tam ipse nunc praesentatus, et institutus, quam alii in dicto beneficio Successores praetendere possint super Decimis tritici, et hordei, quae* REMANEANT INTEGRAE *ad beneficium nostrum, nostrorumque Successorum*, PROUT AD PRAESENS OBSERVATUR, ET HACTENUS OBSERVATUM FUIT.

Idem statuit in Synodis Dioecesanis, quarum duas celebravit, a Successoribus non semel laudatas. Decretum Praedecessoris *Caputi* 10 Julii 1616 super reductione Participantium Ecclesiae S. Joannis Baptistae ad octo incluso Archipresbytero, iisdem instantibus die 27 Martii 1642, in S. Visitationis decursu confirmavit, et quatenus renovavit, attenta tunc scilicet redituum paupertate. Anno demum 1650. ad Trojanam Ecclesiam translatus fuit.

IX. *LEONARDUS SEVEROLI* anno 1650.

Nobilis Faventinus, nostrae Ecclesiae Antistes ab Innocentio X electus fuit die 28 Augusti 1650, cum reservatione annuae pensionis octingentorum Scutorum monetae Romanae super fructibus Mensae Episcopalis, favore Cardinalis Camilli (postea Principis) Pamphylii ejus nepotis. Licet brevi sederit, ministerium tamen suum naviter explevit. Synodum anno 1651 coegit, qua disciplinam Dioecesanam, et jura Episcopalia praesertim super praefatis Decimis firmavit. Sacras Ordinationes hoc, et sequenti anno celebrasse ex earumdem generali Regesto docemur; quo labente obiisse inde aperte colligitur, quod die 16 Mensis Decembris anni 1652 post elapsum annum mortis, seu luctus Episcopi *Leonardi Severoli*, Alexandrum Orsella Archidiaconum, et Vicarium Capitularem litteras dimissoriales, prout etiam sequentibus annis, ad Ordines expedivisse eadem regesta testantur. Quo lapsus convincitur Ughelli, dum *Leonardum* nequum sedisse plus minus annis quatuor, atque obiisse anno 1654, commemorat; cum jam a triennio ferme decessisse ac morte praeventum Sedem Episcopalem viduam ferme ad quadriennium reliquisse constet. Adlectus quidem post ejus obitum fuit *Venantius Mazziocolus*, nobilis Interamnensis, ac probus vir; qui tamen juri suo non dum praeconizzatus cessit.

X. *IOANNES BAPTISTA MONTIUS* anno 1655.

Natus Ferrantinae in Piceno S. Severi Ecclesiam quatuor ab annis suo Pastore carentem obtinuit die undecima Octobris 1655. Dira tunc peste in hac civitate grassante per brevi tempore eidem praefuit. De ejusdem ordinationibus Regesta silent, dum a promotionibus Severoli, et Vicarii Capitularis Ortella ad Successorem Deuta gradum faciunt, penitus intermisso Montio; ejusdem fortasse contagionis ob causam lue contracta, quod diu concupiverat, animam Deo reddidit, et in Ecclesia ejusdem Conventus sub titulo S. Berardini, quo veniens se receperat, et qua tamquam procathedrali utebatur, tumulatus fuit, ideoque fortasse *iacet in procathedrali Ecclesia*, scribit Ughellius.

XI. *FRANCISCUS DENSA* anno 1658.

Patre Josepho, Matre Antonia Bassa natus in Oppido Montis Corvini Acernensis Dioecesis, moribus ac litteris clarus, Romae utriusque juris lauream adeptus ab Urbano VIII, cujus aliquando Tusculi Vicarius fuarat, Canonicatu Salernitanae Ecclesiae donatus, Tarenti pariter Vicarii Generalis munere functus, ab Alexandro VII. die 27 Septembris 1650, Pontificatus anno sexto, S. Severi Episcopus creatus est; cujus possessionem die 5 Decembris nactus legitur, post exequatur Regium die 9 Decembris 1658, quo erroris certe revincitur Ughellius, dum anno 1657 *Densae* electionem collocat, quem optimum appellans, longaevam ei vitam adprecatus, nostrorum Episcoporum in eo catalogum claudit.

Jurium Episcopalium strenuum fuisse assertorem, Coletus, Ughellii continuator merito affirmat, et ejus, quae supersunt, gesta demonstrant. Mensam Episcopalem nedum summo labore ab onere pensionis exemit, verum etiam bona ipsius vindicavit. Transactionem cum Universitate S. Severi super decimis initam, diuturnamque litem pro recuperatione praediorum S. Justae a Cardinalibus Malaspina, et Varalli agitatam, ad finem perduxisse memoratur. Disciplinae restaurator, duas Synodos collegit: quarum altera anno 1662 titulo *de decimis* haec habet » in » S. Paulo autem integram Decimam ad solum Episcopum spectantem, nempe dimidium mo» dii pro qualibet versura, prout solvi mandamus, sub iisdem poenis, ita quoque Mazarii » Terrae S. Pauli integram Decimam, quae tota spectat ad Episcopum, consignent Procurato» ribus nostris, quae est unius Mezzetti pro qualibet versura » quae ipsa verba sunt Synodorum etiam Sacchetti, et Severoli (1). Sacras Ordinationes statis temporibus habuit. Episcopio, quo carebat, Ecclesiam providit. Palatii nunc Episcopalis partem inferiorem licet deciduam, onerosae donationis irrevocabilis titulo, obtinuisse die 4 Julii 1666 (2). novimus *die 4 Iunii* 1666. Plenus meritorum Romae denique die 6 Augusti 1670 laborum praemium consecutum a Domino sperare fas est.

XII. *HORATIUS FORTUNATUS* anno 1670.

Ortus S. Archangeli, Anglonensis Dioecesis, in Lucania, dum Vicarii Generis Palutii Cardinalis de Alteriis in Dioecesi Montis Falisci, Clementis Papae X nepotis, munere fungitur, ab eodem Pontifice die 19 Novembris 1670 ad hanc Ecclesiam evehitur. Septennio, quo ejusdem regimen habuit mirum, quo zelo, liberalitate, atque industria Pastoralis officii partes impleverit, Maius Templum restauravit, atque in eo pavimentum, lacunar, et suggestum affabre concinnavit. Ecclesiam Paraecialem S. Nicolai Turris Majoris consecrasse ex sequenti lapide ibidem apposito docemur.

HORATIVS FORTVNATVS
EPISCOPVS S. SEVERI
DOMVM HANC SOLEMNI
RITV CONSECRAVIT
DIE II MAII
1673.

V. ID. *SPADA* Archip.

Anno sequenti Synodum quadraginta constantem capitibus valde salutarem die 12 Mensis Maii 1674 S. Severi celebravit, cujus exemplar (cum caeterae Synodi huc usque memoratae nos fugerint) in Archivo Episcopali asservatur, nostraeque Synodo non mediocri adjumento fuit. Die 17 Junii anni 1675 Fratri Vincentio Cardinali Ursinio eodem anno Sipontino Archiepiscopo electo Manfredoniae Pallium tradidit, quo postmodum munere cum eodem Eminentissimo in Beneventi Archiepiscopum translato anno 1686 Neapoli functus est, cum jam ad Neritonensem Ecclesiam esset ipse translatus (2). Ordinationes singulis annis semel, vel bis habuit. Dioecesim

---

(1) *Videsis la Relaz. della R. Camera de' 27 maggio 1787 V. M.*
(2) *Diversorum fol.* 121.

visitavit, et inter alia decreta Clerum S. Nicolai Turris Maioris ad *decem* Sacerdotes, comprehenso Archipresbytero, S. Mariae autem eiusdem Oppidi ad *octo* *Participantes* cum Archipresbytero reduxit; quod etiam in statutis dictarum Ecclesiarum sub die 20 Januarii 1716 renovatum comperimus.

Anno Domini 1776 Consecrationis Ecclesiae Cathedralis cum Eminentissimo Cardinali Ursino tunc Sipontino Archiepiscopo consors fuit, prout ex sequenti lapide in superliminari ejusdem Cathedralis apposito luculentius eruitur » A. D. MDCLXXVI. Die XII Mensis Aprilis Dominica *in Albis* Nos Frater Vincentius Maria Ursinus Romanus ordinis Praedicatorum, miseratione » divina S.R.C. tituli Sancti Xisti Presbyter cardinalis nuncupatus, Archiepiscopus Sipontinus, » et *Horatius Fortunatus* Episcopus Sancti Severi, consecravimus. Ecclesiam hanc, et Ego Horatius Episcopus altare hoc in honorem Sanctae Mariae Magdalenae de Pazzis, et reliquias Sanctorum Martyrum Fructuosi, et Aureliae in eo inclusi, et singulis Christi-fidelibus hodie unum » annum, et in die Anniversario Consecrationis huiusmodi ipsam visitantibus centum dies de vera » indulgentia in forma Ecclesiae consueta concessimus. F. Vincentius Maria Ursinus Archiepiscopus Sipontinus Cardinalis S. Xisti. Horatius Fortunatus Episcopus Sancti Severi » Dei cultum, Ecclesiae decorem, pauperumque subsidium magnopere dilexit. Anno vero 1677 a Venerabili Innocentio XI ad Neritonensem Ecclesiam translatus, ac per aliquod tempus interim Urbis Vice-Gerentis munere functus, Neriti vitam, quam sanctimoniae fama transegerat, pari fine coronavit decimo Kalendas Aprilis 1707.

XIII. *CAROLUS FELIX DE MATTA* anno 1678.

Cremonensis vir profundae eruditionis, divini humanique juris interpres, quod pluribus editis operibus prodidit. De *Causis* praesertim *Consistorialibus* concinne solerterque disseruit. In novissimo autem de Sanctorum *Canonizzatione Tractatu* in quinque partes distributo, quem jam S. Severi Episcopus Innocentio I exhibuit, ajusque sub die 12 Julii 1778 privativae privilegio ad decennium muniri meruit, non vulgaris eruditionis copia, physicarumque rerum notitia ad rem pertinente, Benedicti XIV classico eodem de argumento operi praeluxisse videtur.

Dum Romae auditoris Eminentissimi Vidone concivis munere fungitur, ab eodem Innocentio XI die 8 Junii 1678 huius Ecclesiae regimini praeficitur. Re quidem vera die 22 Septembris S. Severi, et 10 Decembris ejusdem anni Turris Majoris sacras Ordinationes habuisse liquet. Unde falli patet catalogum manuscriptum quo creatus Episcopus asseritur die 28 Julii 1679.

Tres saltem in ea sanctissimis legibus refertas Synodos celebrasse, *ejusdem Synodus* anni 1681 aperte docet, quae *tertia Felicis de Matta* expresse praescribitur; queque alia ejusdem manuscripta, et in Archivo Episcopali servatur, et manibus omnium teritur. Haec Coletum fugisse putaudum, dum *duas* dumtaxat Synodos eidem tribuit.

Jura suae Ecclesiae triplici circa pectus aere munitus propugnavit; pietate, prudentia, justitia, aliisque virtutibus claruit. Dioecesim non semel visitavit, ordinationes, et confirmationes generales habuit, et caetera Pastoralia munia ad unguem explevit. Opera, at Sermone potens, anno 1693 nedum Provinciali Beneventano decimo quarto Concilio interfuit, atque, ut retulimus (1), subscripsit; verum etiam in secunda ejusdem Sessione die 13 Aprilis Orationem ex ambone ad Patres habuisse, ejusdem Synodi acta perhibent (2). Seminarium Clericorum, quo adhuc civitas, ac Dioecesis carebat, summo prorsus labore, atque solertia ad Tridentini formam, servatis servandis, anno 1784. erexit (3). Ad animi, corporisve levamen, aerisque salubritatem, eo melius, quo inter Apuliae humiditates hyemales, aestivosque calores comparari queat, in Terra S. Pauli aedes, rusticandi gratia, construxit. Inibi diu, libenterque demoratus, inter alia Episcopalia munera exercita, Campanam (ut dicitur) *Congregationis S. Pauli* consecrasse ejusdem Circularis inscriptione monemur: *Carolus Felix Matta Episcopus MCCXCII.* Ibidem vigesimo quarto sui Praesulatus anno, octogenario major, die 16 Februarii anno 1701 humanis rebus ereptus, in Cathedrali per Capitulum deductum ejus cadaver tumulatum fuit.

---

(1) *Vid. supr. num.* *S. Severi Episcopo fol.* 35.

(2) *Synodum Provinciale.*

(3) *Vide fundationem hujus sacri Seminarii, quae in archivo ejusdem asservatur.*

XIV. *CAROLUS FRANCISCUS GIOCOLI* anno 1703.

Horatii Fortunati ex Germana Sorore nepos, S. Archangeli in Lucania satus, litteris humanioribus, ceterisque studiis apprime eruditus, Archidiaconus primum hujus Cathedralis Ecclesiae die 4 Novembris 1664, postmodum Neritonensis Avunculi sui Vicarius Generalis creatus; die 16 Julii 1703 a Clemente XI, ipso proponente Avunculo, S. Severi sedem obtinuit. Jurisdictionis, immunitatis, Ecclesiasticaeque disciplinae propugnator, ad jussa XIV Provincialis Synodi, die 15 Novembris 1715, statuta capitulo tradidit (1). Idem cum receptitiis civitatis, ac Dioecesis Ecclesiis sequenti anno peregit. Regulas seminario, Monialibus praecepta, clero, et populo, forma gregis factus, monita hortamenta, subsidia instanter praebuit. Quinque Ecclesias, Capuccinorum scilicet, S. Mariae de Monte Carmelo in civitate, reliquas extra Dioecesim consecravit. Cathedrali Ecclesiae reficiendae, exornandaeque, aliisque sacris aedibus instaurandis, sacraque supellectili instruendis operam plurimam dedit; juribus, ac libertatibus Ecclesiae tuendis insudavit, donec ad Caputaquensem Ecclesiam Kalendis Maii anni 1717 translatus fuit.

XV. *F. ADEODATUS SUMMANTICUS* an. 1717.

Ex Vincentio, et Silvia Caccioni illustribus parentibus Foveae natus, S. Severo autem oriundus, adolescens ordini eremitarum S. Augustini nomen dedit, in quo scientiis omnibus ipse praeluxit, easque diu magnorum plausu alios docuit. Sui ordinis prius procuratoris generalis, ac demum prioris generalis propterea munus obtinuit. A Clemente XI die 15 Aprilis anni 1717 ad hanc Ecclesiam promotus; die 25 ejusdem Mensis ab Emiuentissimo Nicolao Spinola in S. Augustini templo fuit consecratus. Episcopales domos fatiscentes S. Severi, aeque ac S. Pauli refecit, cui aliquot cubicula aptavit. Curiae Locum a fundamentis erexit qui tamen post exactas vicissitudines vel ubi fuerit ignoratur. Super cathedralis hierophylacio, quod sacra et pretiosa supellectili instruxit duo cubicula pro Oeconomo, et Sacellario extruxit. Montem vulgo frumentarium de suo, capitulique penu erexit, sibique, et capitulo eiusdem administrationem ab ipso fundationis limine reservavit.

Seminarium reditibus auxit. Quaedam suae mensae praedia sua industria frugifera reddidit; archivum Episcopale collectis scripturis ordinavit. Sanctas Visitationes, sacras ordinationes; et reliqua Episcopi munia saevis licet nephriticis doloribus praepeditus, constanter exercuit. Die 30 Maii anni 1728 ad Dei nomen et honorem Ecclesiam Paraecialem sub titulo Nativitatis B. M. V. Turris majoris cum ara principe prout ex lapide in eadem Ecclesia prostante liquet consecravit. Anno 1729 Synodo Provinciali a Benedicto XIII, etiam tum Beneventano Archiepiscopo diebus 4, et 12 Mensis Maii celebratae primus ex viginti unum suffraganeis in hunc modum subscripsit » Ego Frater Adeodatus, Ordinis Eremitarum S. Patris Augustini, » Episcopus S. Severi, et Civitatis consentiens subscripsi » Gliscentibus vitiis eradicandis, pauperum inopiae levandae, sacraeque disciplinae instaurandae aptissimas Synodos habuit typisque vulgavit. Alteram anno 1720, alteram 1726 quae primae veluti appendix est censenda; immo et tertiam, quam Sedis Apostolicae judicio subjectam, ineditam, morte praeventus, reliquit. Vir doctus, religione plenus, et in Ecclesiam, ac pauperes liberalis, moriens Baculum argenteum, (2) Mitram auro frigiatam, crucem et annulum, vestesque Pontificales in usum successorum reliquit. Die 21 Decembris 1735 annumeratus est ad Patres suos.

XVI. *IOANNES SCALEA* anno 1736.

Terlicii ortus Laquedoniensis Episcopus renuntiatus post decem et octo annos Episcopatus laudabiliter exactos ad nostram Ecclesiam die 14 Aprilis a Clemente XII translatus fuit cum reservatione annuae pensionis scutorum centum favore Dominici Volpe Barensis ejusdem summi Pontificis cubicularii. Triennio, quo sedit, inter alia pastoris munera sedulo expleta, Episcopium refecisse vel ipsa eius stemmata in fornice et laquearibus ejus adhuc apparentia demonstrant. In communem Matrem rediit die 18 Julii 1739.

---

(1) *Statuta Capitular. in fine.*
(2) *Vide infra in Cp. del Muscio.*

XVII. *BARTHOLOMAEUS MOLLO* anno 1739

Ex Ducibus Lusciani S. Th. D. Innici Cardinalis Caraccioli Episcopi Aversani in Conclavi post obitum Clementis Papae XI Dapifer, die 15 Novembris 1739 ad nostram Cathedralem a Clemente XII assumptus Ecclesiam Cathedralem aere suo ex parte collato restauravit. Sacrarium nobilibus parietibus ditavit. Decennio ferme pro Ordinandis Sancti Severi *receptivis* Ecclesiis assiduo (utinam diu proficuo) studio, ac labore institit. Anno demum 1749 decennali, praevio earumdem redituum calculo, Participantium cujusque Ecclesiae numerum hoc ordine statuit: Sancti Severini, scilicet, *tredecim*, Sancti Nicolai *quatuordecim*, *quindecim* vero S. Joannis comprehensis Archipresbyteris. Quod Statutum regiis quoque Apicibus firmatum diu pro regula obtinuit. Caetera Pastoris officia fortiter implevit Fato cessit die 20 Mensis Julii anno Domini 1761.

XVIII *ANGELUS ANTONIUS PALLANTE* anno 1761.

Concionator, et Sacris Missionibus deditus Sacerdos a Balneolo Nuscanae Dioeceseos S. Th. D., a Clemente XIII die 20 Novembris huius anni Severopolitanae Sedi praepositus, caritate prae ceteris erga pauperes enituit. Urgente praesertim universali penuria anni 1764, nec sumptibus, nec laboribus pepercit, ut nedum egestoso gregi, sed infirmis etiam undique obvenientibus subsidio foret. Tum in antiquo Hospitali, ab initio semperque sub episcopi regimine posito, quam in alio extemporaneo in Ecclesia S. Mariae Gratiarum extra moenia a se excito, advenientes quoscumque benigne excepit, aere suo juvit, assidua cura et praescutia etiam fovit utque curarentur, effecit. Ecclesiasticae immunitatis, propugnator libertatis, Monasterii Sanctimonialium S. Laurentii adversus Laicorum conatus strenuus defensor, (1) Episcopalis etiam Mensae jurium assertor, miserabilium Pater, pupillorumque patronus adeo fuit ut de eo dici potuerit, *oculus fui caeco, et pes claudo.* Balneoli stadium suum explevit die 1. Octobris 1765.

XIX. *THOMUS BATTILORO* anno 1766.

Soranae Dioecesis e Marchionibus Rocchettae, S. Vincentii in Vulturno, olim Vicarius generalis Aquinen. Nuntiaturae Apostolicae Neapolis procuratoris fiscalis, pro-auditoris, et Internuntii muneribus functus, die 13 Aprilis 1766 a Clemente XIII S. Severi Cathedram meruit. Brevi quo sedit intervallo, pastoralia munia, licet absens, exercere non destitit. Paulo ante quam pastoralem deponeret sarcinam Neapoli die quarta Octobris 1767 utriusque Ecclesiae paraecialis Turris majoris clero, causa cognita, auctoritate ordinaria, minora concessit insignia; signum, scilicet canonicale, id est Almutiam ex lana violacei coloris subsutam ex serico rubro cum fimbriis ejusdem coloris supra superpelliceum. (2) Episcopus Claudianopolitanus in partibus infidelium, et tribunalis mixti consiliarius creatus, hanc Ecclesiam sponte dimisit, die 20 Novembris 1767, ac decennio post Neapoli obiit die 29 Januarii 1787.

XX *EUGENIUS BENEDICTUS SCARAMUCCI* anno 1768.

Natus Campuli Soranae Dioeceseos, Albeti Canonicus, Abbas S. Nicandri extra Vicalbum, sacri palatii Apostolici in romana curia causarum patronus, Vicarius olim Apostolicus Montilli Ursini Archiepiscopi Capuani, et successive Cardinalium Episcoporum Sub-Urbicariorum Ruffi, Spinelli, et Stoppani generalis Vicarius, mense Januario, anni 1768 in nostrum Episcopum a Clemente XIV electus. Per septennium, bono utique publico, cunctis Episcopi muneribus accurate perfunctus, gregem sibi commissum ad pascua Salutis adegit. Episcopium secundo ordine augere coeptum, ac labescens reparare inchoavit, multoque ad id aere collecto, et in spolio ejus reperto successori perficiendum decedens reliquit die 19 Januarii 1775.

(1) *Allegazione a favore del Monastero di Gabriele Valentini 29 Dicembre 1769.*
(2) *Concessionis privilegium in archivo eiusque Paraecialis Ecclesiae servatur.*

XXI *IOSEPH ANTONIUS PHARAO* anno 1775.

Cuccari in Lucania illustri familia exortus, Episcoporum Andriae, Puteolorum, cappellani majoris, et Archiepiscoporum Materae, et Capuae successive Vicarius generalis a Pio VI mense Junii hujus anni electus duodeviginti amplius annis hanc sedulo rexit Ecclesiam. Episcopium a Decessore inchoatum absolvisse sequenti marmore in superioris Episcopii sacelli arcu apposito liquet.

IOSEPHVS PHARAO EPISCOPVS S. SEVERI
PALATIVM EPISOPIVM
AB EVGENIO SCARAMVCCIA ANTECESSORE INCHOATVM
OPERE COMPLEVIT
OMNIQ. CVLTV COMMODVM REDDIDIT
ANNO MDCCLXXXI SEXTO PRAESVLATVS SVI.

Quanta animi fortitudine jura, et bona suae Ecclesiae defenderit, vel una constat diuturna lite super decimis cum universitate S. Pauli, atque illius Oppidi civibus, et tunc temporis feudatario, quam post varios casus post tot discrimina rerum ad optatum finem feliciter perduxit. Hanc primigeniam suae Ecclesiae dotem magno sane labore, atque impendio supremo Regis judicio sub die 8 Augusti 1778 firmari curavit. Quod judicatum una cum disertissimis consultationibus tum delegati regiae jurisdictionis sub die 21 Augusti 1776, cum regalis Camerae S. Clarae 27 Maii 1777 ad perpetuam rei memoriam typis etiam mandatum voluit. Hinc synodi dioecesanae specimen heic cogendam curarit (1). Gravi atque incurabili canceroso more bo detentus, Neapoli ubi sui curandi gratia diutius degere habuit, animam Deo reddidit die 27 Augusti 1793 ubi jacet in Ecclesia S. Laurentii Majoris Minor. Conventualium cum hoc elogio.

IOSEPHO PHARAO
EPISCOPO S. SEVERI VITI F.
AC CAROLI LVCANIAE REGIO DICASTERIO
AVDITORIS FRATRI
EX PRISCIS DVCIBVS LAVREANAE
SOFRANI CANNAELONGAE ETC.
OMNIBVS EXIMIIS VIRTVTIBVS
SPECTABILI CHARITATE PRESERTIM IN
PAVPERES ECCLESIAEQVE IVRIVM
PROPVGNATIONE
EXACTISSIME XVIII EPISCOPATVS ANNIS
AC VITA PIISSIME FVNCTO
V KAL. SEPT. ANN. MDCCXCIII
REQVIETORIVM HOC CVM SIGNO
ANTONIVS FRATER AMANTISSIMVS
CAVSARVM PATRONVS
DOLENS MOERENS . P

Super humum

IOSEPHI PHARAO
S. SEVERI
EPISCOPI
CINERES
VIXIT AN. LXIV M. IX D. XXIX.

---

(1) *Vide supr. in nostra allocutione ad Synodum num.* 7.

XXII. *IOANNES CAIETANUS DEL MUSCIO* anno 1797.

Foveae aeque ac Summantious noster honestis parentibus natus, Clericis Scholarum Piarum nomen dedit. Romae in Collegio Nazareno educatus, Neapoli in regali collegio Philosophiam, Mathesim, ac deinde Theologiam professus, in Melitensi deinde studiorum Universitate sublimioris Matheseos Cathedram obtinuit. Parthenopem redux in militari Academis Mechanices tradidit institutiones. Ipsius regalis tum Ferdinandiani collegii Rector; bis sui ordinis provincialis in Apulia fuit. Termularum Episcopus designatus aetatis suae anno quadragesimo sexto, ad sedem Carinulensem evectus, Romae die 8 Aprilis 1692 consecratus fuit. Post quinquennium die 18 Decembris 1797 ad hanc Ecclesiam translatus, multa fecit, tulitque inter eas temporum calamitates, quibus hostili manu regnum invasum, pupularibus plerumque motibus omnia susque deque turbari contigit atque pessum ire. Inter politicas sane tempestates anni 1799 Episcopium direptum, civitas internecione vastata, Cathedralis ipsa plurimo sacerdotum, fideliumque sanguine conspersa, ac violata, per ipsum reconciliata fuit. Casa interim sacra, pretiosa paramenta, Pastorale argenteum atque insignes reliquiae direptae, confractae, deperditae. Incolumis ipse Coelo favente, intestinae restituendae quieti, disciplinae reparandae, animisque componendis intentus, annosam litem cum communi S. Severi amicabili compositione sub die 27 Novembris 1802 transigere ad annua docata quatuor centum argentea praecipua, atque ab omni prorsus onere libera satius duxit. (1) Biennio post die scilicet . . . Octobris 1804 ad Sipontinum Archiepiscopatum translatus, Neapoli demum hydrops decessit Mense Decembris anno 1809.

XXIII *IOANNES CAMILLUS ROSSI* anno 1819.

Natus Abellini die 27 Aprilis 1767 ex primoribus B. M. Antonio U. I. D. et Agnese Barrecchia non ordinariae pietatis conjugibus. Ingenuis artibus, linguis, scientiisque divinis humanisque ex ephebis imbutus, in laboribus ab adolescentia assuetus, jus naturae, et gentium civile, canonicum, regni, ac pandectas, sacraeque Theologiae praelectiones a semet dictatas per plures annos Neapoli professus; hominum deliramenta in sanctas disciplinas prolata refellere etiam typis sui muneris esse duxit. Post aliquas velitationes in Pistoriensis Synodi pseudo Augustinianam de gratia doctrinam anno 1791 in plura temporis opuscula pro orthodoxae fidei, sublimiorumque potestatum a pseudo-philosophis impugnatarum defensione calamum perstringens, *Ecclesiastico-politicam* cardinali archiepiscopo Neapolitano, tunc Carolo Josepho Zurlo dicatam (2) opellulam edidit. Inter Civitatis Theologos a senatu Neapolitano, et inter sui cleri examinatores, et confessarios ab eodem eminentissimo statim propterea accitus, ejusdem Ecclesiae ministerio cooptatus diutius adlaboravit. Anno 1794, errores gliscentes, serpentemque inobedientiae ac vertiginis spiritum detegere, ac profligare non desinens, altero apologetico opere, cui titulus — *La dottrina di G. C. difesa*, duobus tomis comprehenso, immortalisque nominis PIO PAPAE VI dicato, sequuti luculentissimo Pontificis optimi testimonio fuit honestatus.

PIUS PP. VI.

» Dilecte Fili salutem, et Apostolicam benedictionem.

» Incompertum nobis minime erat eruditionis tuae studium: quam vero in publicam lu-
» cem postremo loco dedisti elucubrationem nostro inscriptam nomini, ea tuam de nobis bene-
» merendi voluntatem ostendit. Integra operis lectio eo carior nobis erit, quo impensius con-
» tendis hominum deliramenta inter sanctas disciplinas prolata refellere. A cursu tanta tua laude
» suscepto ne umquam deflectas, sed alacri in eo insistas animo, te majorem hortamur in mo-
» dum. Ubi idonea aderit occasio, paternam, gratamque in te notram senties voluntatem: in-
» terim accipe propensionis nostrae pignus certissimum, Apostolicam benedictionem, quam tibi,
» dilecte fili, intimo cordis affectu, ac peramanter impertimur.

» Datum Romae apud S. Mariam Maiorem XV Kalendas Octobris MXCCXCIV. Pontifi-
» catus nostri anno XX — Callistus Marinius a latinis Epistolis Sanctissimi.

---

(1) *Extat ad publicum Instrumentum per Notarium sub.* *sub eodem die* 1802.

(2) *Parere Ecclesiastico Politico contra gli opuscoli del tempo in ottavo.*

A Neo-electo Beneventano Archiepiscopo summi ingenii viro Dominico Spinuccio eodem favente ac probante Pontifice anno 1796 in sui vicarium generalem adlectus, cum pro munere gratias Sanctissimo patri, ac patrono indulgentissimo egisset, quam *sibi id iucundum acciderit*, humanissimo altero probavit responso Non. Maii MDCCXCVI.

Difficilem hanc procurationem ingressus, splendidissimae civitatis ac metropolis, caeterorumque ordinum, praeclarissimique Pastoris paris aeque ac constantis dilectionis pignora meruit. Anno 1798 viva voce plenisque suffragiis Neapolitano theologorum collegio libenter cooptatus: sequentis vero anni die 4 Februarii Beneventana civitate, cui ab imminenti clade et igne a Galliis comminato servandae perutilem ex commissione navarat operam, donatus: anno 1800 die pariter 4 Februarii Romanae tunc nascentis academiae catholicae Religioni tuendae adversus incredulorum conatus a Pio VII institutae adscriptus fuit. Non uno interim, sive nuper defuncti Pii VI, cum *maiori praemeretur temporum acerbitate* XVI Kalendas Martii anni 1798 in pervigilio scilicet durissimae illius, in qua fortiter occubuit, captivitatis; sive aeque incomparabilis successoris cognominisque Pii VII. paterni amoris testimonio auctus est; suorum munerum assiduo exploratoque exercitio, qua sacras, qua archeologicas elucubrationes, vel adhuc sub lima, vel sub praelo positas, vincta etiam aut soluta oratione intexere numquam deferbuit. Beatricem e comitibus ipsius Archiepiscopi Matrem optimam funebri oratione honestavit, quam typis editam ac Francisco Saverio Saxoniae Regis Patruo ejusdem praesulis cognato inclyto dedicavit, a quo luculentissimum grati animi testimonium humanissima Epistola meruit. Anno demum 1804 labente a serenissimi regis *Ferdinandi* clementia ad pastorale *Marsorum* regimen nominatus, a vere Pientissimo Pio Papa VII in consistorio secreto diei 26 Junii 1805 renuntiatus, die 30 ejusdem sollemniter in Marsorum Episcopum fuit consecratus.

Per tredecim, quibus inibi sedit annos inter notissimas Reipublicae tempestates in veritatis columnam, Petri nempe cathedram, tamquam unicam salutis arcam, aciem semper intendens, a Sanctissimi Pontificis oraculis pendere solemne habuit. Romam ad consistoria secreta pro quinque Sanctorum, *Francisci Caracciolo*, *Benedicti a S. Philadelphio*, *Hyacintae Marescotti*, *Angelae Merici*, *et Coletae Boylen* canonizatione peragenda die 24 Maii anni 1807 apostolicis litteris specialiter accitus eo se libentissime contulit; ibique, et *limina Apostolorum* visitavit, et suae villicationis rationem, Ecclesiaeque statum Petri Cathedrae exhibuit: quo sane tempore eximia paternae benevolentiae specimina ab inclyto Pontifice assecutus, inter ejus Praelatos domesticos, pontificioque solio assistentes solemni diplomate sub die V Junii 1807 fuit gratis et peramanter adnumeratus. Inter Pii VII Sanctaeque sedis ultra septennium calamitates, obedientiae, atque devotionis suae testificationes eidem summo pontifici vel Savonae deportato exhibere non destitit, eiusdemque humanioribus rescriptis, atque apostolicis indultis pro illorum temporum necessitatibus, iterum, et tertium est auctus (1). Post aerumnarum, deportationumque miserrimam illam periodum, per miraculum prope suae sedi, et ditionibus reddito litteris obsequii ac devotionis sensibus refertis Pio gratulatus, clementissimi illius Ecclesiae principis, ac Patris, hoc officio sibi benevolentiam magis magisque promeruisse ipsiusmet sub die 2 Julii 1814 rescripta testantur.

Cumque illum Feria V Majoris Hebdomadae insequentis obortae turbae secedere ab Urbe coegissent, ut redeunti gratulatoriis occurrit litteris, benignissima ipsum Episcopum responsione dignatus est invicti animi Pontifex, quam heic subiicere grati obsequentisque animi est.

P I U S PP. VII.

» Venerabilis Frater, salutem, et apostolicam Benedictionem.

» Novum in Nos pietatis tuae testimonium nobis dederunt Litterae III Idus Junii a te ad » Nos datae. Ex his enim moerorem pro nostro ab urbe discessu tuum, tuamque pro nostro » reditu laetitiam intelleximus. Etsi vero quo sis in nos animo *iampridem* perspectum habeamus, » recens tamen haec amoris tui significatio, et jucundissima nobis fuit, et benevolentiae in te » nostrae stimulos fecit acriores. Optamus igitur ut occasio se nobis aliqua objiciat ostendendae

(1) *Praestant profecto quae data fuerunt Savonae die 10 Julii 30 Octobris anni 1810, Romae ipsius Pontificis manu confirmata Romae 1 Julii 1814.*

» tibi praecipue illius charitatis, qua benedictionem apostolicam tibi ipsi, Gregique tuo peramanter impertimur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem die 28 Junii 1815. Pontificatus nostri anno XVI. Dominicus Testa.

Augustissimo pariter Regi Ferdinando Neapolim reduci, et humili gratulatione plaudere, et in suae devotionis argumentum archeologicum opus, cui titulus: *L'Arco Traiano di Benevento illustrato* offerre sui officii duxit. Princeps autem optimus se laboris hujus patronum ac maecenatem amplissimum peramanter indulsit (1) sub datum 9 Novembris 1816.

Creditum interea sibi gregem Sacramentorum, et divini verbi etiam in Advento praesertim vel Quadragesima indesinenti ministerio in Domino pavit. Cleri, sacrique in primis seminarii curam praecipuam habuit. Totius Dioecesis ambitum utpote ampliorem septies in singula scilicet biennia perlustravit. A limitrofis Ecclesiis, pastore tunc ut plurimum viduatis accitus, earum voto, confirmandis fidelibus aliisque Pontificalibus ministeriis exercendis, se non semel ex animo praestitit. Synodum Dioecesanam ut primam, et post centum quadraginta annos novissimam saluberrimis statutis in succrescentes novissimi temporis errores, sectasque refertam, ubi primum et liberum fuit, anno 1815 collegit, ac demum 1819 Porcellianis typis editam atque eximio atque Excellentissimo aeque ac Sapientissimo Marchioni Donato Thommasio dicatam Neapoli publici juris fecit.

Apostolorum limina iterum visurus, creditaeque procurationis pleniorem rationem daturus XII Kalendas Decembris anni 1817, ad Beatissimi Patris pedes provolutus non ordinaria caritatis pignora expertus; relationem illius Ecclesiae repetens, sequenti Eminentissimorum patrum Tridentini concilii interpretum responsione humanissima donatus fuit.

REVERENDISSIME DOMINE UTI FR.

» Litteras Ampl. tuae datas XII. Kalendas Decembres anno 1817 super statu Ecclesiae Marsorum, cui praees, Emm. Pres. Tridentini concilii interpretes, ac vindices summopere probarunt, quod ex iis elucet zelus, consilium, dexteritas, quibus procellosis, infestisque Ecclesiae temporibus Sanctimonialium Piscinae Monasterium illaesum ferme servavit; liberalitas propterea qua Episcopii aedes, et praedia; Cathedralis Ecclesiae Fabricam, et sacrarium instauravit, clerum donavit cathedratico, pauperes tum Dioecesis, tum exteros magna premente penuria excepit, et aluit, praecipue verae Religionis studium, *quo doctrinae puritatem, ac dogmatum integritatem contra gliscentes errores, perversorumque hominum* dicteria in Dioecesi sua universa conata est conservare. De his Episcopalis ministerii partibus Sanctae, ac diligenter expletis, aliisque laudabiliter gestis, vehementer tibi gratulatur sacra congregatio ec. Romae 22 decembris 1819. Uti frater J. Card. Gabrielli Praefectus - J. F. Archiep. Athen. Secr.

Anni sequentis vero ab amantissimo Moecenate jam tum ab anno 1816 Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali sub titulo Sancti Callisti Eminentissimo Beneventano Archiepiscopo Spinuccio pro Visitatione, et confirmatione suae amplissimae Dioeceseos accitus alacriter accurrens, concreditum opus debita sedulitate perfecit.

En in peregrinatione, ac ministerio, ipso utique expostulante, et suffragante Eminentissimo Metropolita, ut inter viciniores sui suffraganeos ipsius ingravescenti aetati, atque incommodis adjumento, et levamini esse posset, ad Serenissimi Regis praesentationem ab eodem Beatissimo Patre Pio PP. VII. eadem profecto die 26 Junii 1818, qua ad Marsos missus fuerat ad hanc sedem translatus est; quam Ecclesiam trilustri ferme spatio Pastore viduatam inveniens, Episcopium ad omnia alia addictum, ex integro reparavit, suoque usui restituit. Archivum prorsus deperditum recuperavit redegitque. Ad disciplinam ob decennii etiam calamitates collapsam, moresque declinantes restituendos, nihil intentatum, Deo Auctore, reliquit, ut omnia ad Canonum libellam pro modulo instauraret. Sacras ordinationes statis temporibus habuit, Ecclesiasticum seminarium quotidiana sollicitudine excoluit. Casuum a semet quotannis editorum moralium, conferentiis ad methodum in calce ordinarii Dioecesani adjectum indesinenter habuit. Civitatis, ac Dioeceseos Sacram Visitationem quotannis explevit, et in eis sollemnes ubique confirmationes celebravit. Novaeque hujus

(1) *Veggasi l'Arco Traiano T. III pag. 1 in fine. Nap. 1816.*

ferme quinquennalis procurationis sedi Apostolicae cujus quoque limina pro more ac debito visitare non praeteriit, e Castro S. Pauli XVIII Kalendas Septembres 1822 rationem, humillime reddidit. Templum Sanctae Crucis Sancti Severi *die . . . Maj* 1819 sollemni ritu, prout etiam pleraque altaria portatilia consecravit. Ipsammet Cathedralem culpabili sanguinis effusione pollutam die 27 Novembris 1822 sollemniter reconciliavit. Gregem adventus sacratissimaeve quadragesimae maxime tempore verbo, et opere pascere non destitit. Ipsius Eminentissimi Metropolitani jussa capessens, Beneventum Septembri anni 1822 et 1823 se contulit generalem ordinationem, et confirmationes ad plures hebdomadas inibi habuit. Synodum denique Dioecesanam hanc a saeculo ferme exoptatam (1) diebus 18, 19, et 20 Mai currentis anni 1823 omni cultu, sacraque pompa celebravit.

Cum Synodalium constitutionum praesens cuderetur editio, villicationis suae Apostolatus vertici redditam rationem Eminentissimi Patres S. C. T. interpretes hujusmodi responsione honestarunt » Reverendissime Domine uti frater: quas amplitudo tua ad S. Congregationem tri-
» dentinae Juris Interpretem die 15 Augusti anno 1822 litteras dedit, eosdem Eminentissimos pa-
» tres praecipuo quodam gaudio cumularunt. Totam enim in ipsis nacti sunt novae procuratio-
» nis tuae rationem, praeclaram illam quidem, omnique pastoralium virtutum genere refertam.
» Gratae autem in primis Eminentissimis Patribus fuerunt curae abs te sapienter susceptae ad
» cleri istius statum, ac disciplinam tantopere eversam restituendam, vitaeque sanctimoniam
» revocandam, apud quidem Te abunde, feliciterque divina benignitate favente, consecutum
» fuisse, tibi S. Congregatio vehementer gratulatur. Summam itidem promeretur laudem libera-
» litas illa, ex qua tot tum ad domus Dei decoris incrementum, tum ad orphanotrophii praesi-
» dium pauperumque solatium fontes dimanarunt. Neque silentio praetereunda est, quam in pro-
» xima Regni istius seditione ostendisti prudentia cum mira gregis tui sollicitudine conjuncta,
» intensumque studium, quo usus es, ut ii qui sese publicis illis turbis mancipsrunt, ad
» bonam frugem revocarentur. Qua porro virtute tua fulti Eminentissimi Patres confidunt parem
» te curam operamque adhibiturum, ut si quos adhuc, praesertim in Clero, pravis hujusmodi
» opinionibus imbutos cognoveris, ad salutaria pascua reducas, quo nihil religioni, civilique
» imperio fieri potest commodius.

» Amplitudinem praeterea tuam eo etiam nomine commendat S. Congregatio, quod egregiam
» cum regularium superioribus servare studeas concordiam, quod Theologicas, liturgicasque Cle-
» ricorum collutiones, cordi vehementer habeas, vigilanterque incumbas, uti suis Parochi mu-
» neribus rite, recteque fungantur.

» Nec dubitant Eminentissimi Patres, quin semper hisce laudibus Amplitudo tua sit prae-
» stitura, iisque *Dioecesanae Synodi* convocationem quamprimum adjectura.

» Quae postremo litterarum tuarum loco de filiali tua in S. hanc Sedem fide, ac devotione
» luculenter profers, jucunda illa quidem, minime tamen nova Eminentissimis Patribus acciderunt.
» Probe enim ipsis perspectum est, quantum amplitudo tua hac laude jampridem excellat, qua-
» que te, hoc praesertim nomine, Pius VII Sanctae Memoriae paterna prorsus charitate, ac
» benevolentia prosequeretur.

» Haec Eminentissimi Patres ad tuas litteras rescribenda duxerunt. Ego vero Amplitudinem
» tuam peculiari studio observans, et colens, fausta ei omnia, et salutaria precor a Domino.
» Romae 16 Junii 1824 Amplitudini tuae uti Fr. E. Card. de Gregorio Praef. -- A. D. Gam-
» berini Secret.

Nuperrimo demum a Synodo triennio solicitudine non piger ministerii sui pariter vices implere non destitit, visitationem Civitatis, et Dioecesis quotannis peregit, confirmationes puerorum, sacrasque ordinationes suo tempore habuit. Ecclesiae suae jura, bona, redditusque non sine gravi utique labore, et impensa defendit, sartaque tecta servavit. Tum Allegationes et documenta pro ipsius defensione, quam favorabiles pro ipsa decisiones ad perpetuam rei memoriam, et pro futura Ecclesiae securitate typis mandatas voluit. De pauperum hocce patrimonio, Orphanis, viduis, egenis, morbisve, aerumnisve detentis pecunia, frumento, vestibus, calceis, culcitris, medicinis debitorum quoque remissionibus juvit quotidianam, menstruam annuamve opem egentibus tulit. Sacro Seminario, Clero, honestioribus civibus, sanctimonialibusque seorsim, nec semel, nec sine fructu, Deo utique incrementum dante, Verbum Dei serere, ac spiritualia exercitia,

---

(1) *Vide supra orationem Synodal.*

licet adversa plerumque valetudine detentus dare ipsemet non extimuit. Populum etiam universum nunc Christianis Chatechesibus, nunc homeliis, aliisque orationibus, et Pastoralibus instructionibus etiam editis pascere festinavit. Pio VII. Pontifici maximo, Dominico Spinuccio Eminentissimo Metropolitae, ac Ferdinando I. indulgentissimo principi lacrymis, exequiis, Sacrificiis, oratione denique funebri rite parentavit. Quam autem pastoralem epistolam pro currentis Jubilaei celebratione et fructu uberrimo etiam in animarum igne purgatorio detentarum suffragium ad mentem et ipsissima verba indicentis summi Pontificis (1) typis tradidit, atque FRANCISCO I. quem Deus diu sospitet, tunc principe Juventutis, ac Calabriae Duci, nunc Serenissimo Regi nostro dicavit, super Cathedram Petri, Leoni XII feliciter sedenti oblatam, sequentibus amantissimis epistolis excipere perlegere atque probare dignatus est Clementissimus Pontifex.

LEO PP. XII.

» Venerabilis Frater salutem, et Apostolicam benedictionem. Redditae sunt nobis litterae » tuae quibus in eam curam vehementer incumbis, ut Grex tibi commissus, fructus ex uni» versali Jubilaeo, quam uberrimos capiat. Eo majore cum benevolentiae, gratique animi sensu » eas accepimus, quod compertum habemus quanto studio, juvante Domino, labores nobiscum » ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi, testi» monium quoque reddente tibi sermone bonorum omnium. Quare confidimus fore, non modo » ut quae de Ecclesiae thesauro, tradita nobis, licet indignis, potestate, propositae sunt omni» bus, divinae divitias bonitatis ipse sis abunde percepturus, sed ex litteris iisdem tuis, in omnes, » ad quos pervenerint, gratiae Caelestis plenitudo sit profectura. Perlegemus eas libentissime, » ut primum per occupationes nostras licebit. Interea tum earumdem causa tibi gratias agimus, tum » ob plenas pietatis, et observantiae significationes, in Nos et hanc Apostolicam Sedem; tuas » tibique et universae Dioecesi tuae, a Deo, Misericordiarum Patre bona omnia toto animo ad» precantes, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur — Datum Romae apud S. Pe» trum die 12 Januarii anno 1825. Pontificatus nostri anno 11 (*manu propria*) LEO PP. XII.

» Leo PP. XII. Venerabilis frater salutem, et Apostolicam Benedictionem etc.

» Pastorales litteras tuas legimus libentissime adeo nobis placuit sapientia, et flagrans » studium salutis animarum, quae se in illis produnt. Tibi igitur populoque curae tuae credito » gratulamur ex animo, et Apostolicam Benedictionem amanter impertimur. Datum Romae » apud S. Petrum die 12 Februarii anni 1825 Pontificatus nostri anno 11. (*suis quoque sacris » apicibus*) LEO PP. XII.

Anni demum modo elapsi (1825) mense Novembri ad Sacra Apostolorum limina accedens, Iubilaei quoque bona uberrima lucraturus, SS. Optimumque Pontificem devotissime invisere gavisus, suae procurationis rationem eidem reddere festinavit. Quanta vero benignitate ab Invicto aeque ac Humanissimo Principe et Patre exceptus fuerit, ex ipsa hujus Synodi epistola dedicatoria liquet. Quod si Episcopi Testamentum merito appellatur Synodus, absonum nulli videbitur, si post impletas sui Ministerii partes, ad alia Regis clementia vocatus, Clero, Gregique suo haec testata reliquerit, *quasi rationem de animabus redditurus.*

---

(1) *Decretoria plane sunt verba Summi Pontificis in Allocutione habita in Consistorio secreto die XXIV Maii MDCCCXXIV: Volumus autem ut uberrimi* PROXIMI IUBILAEI *bonis ii quoque fruantur, quos nondum plene soluta delictorum poena mors intercepit. Omnibus itaque facultatem dabimus, omnes impense monebimus, ut indulgentiis, quas lucrati fuerint, defunctis subveniant, quos* PURGATORIUS IGNIS *urit et emundat.*

APPENDIX II.

DIE XIII. SEPTEMBRIS ANN. 1591.

IN CASALI S. PAULI

De Visitatione Ecclesiae Parochialis S. Pauli Graecor. v. ad num. **307.**

Hodie mane post Graecorum discessum Ecclesiam ingressus, factaque oratione constitutus est coram nobis Reverendus Presbyter Graecus, uxoratus (iuxta ritum Grecor.) Dominus Demetrius Divers -- Curatus praedictae Ecclesiae, et ejusdem Casalis Parochus Universalis . . . . Interrogatus a Reverendo Domino Theologo Francisco Ballarino, de quibusdam nobis respondit, ut infra.

1. An Schismatici sint excommunicati ?

℟. Affirmative, sed non sum ego Schismaticus.

2. An Papa sit caput et Ecclesiae Graecorum ?

℟. Affirmative negando Patriarcham Graecorum Constantinopolitanum, ut Patriarcham Universalis Ecclesiae, aut caput.

3. An credat processionem Spiritus S. a Patre, et filio in divinis, sicut in generali Graecorum Niceno Concilio, in symbolo expressum est per Decretum?

℟. Credo.

4. An doceat Parochianos suos Purgatorium esse, et pro ibi existentibus defunctis orare debere ?

℟. Parochiani mei hoc credunt, sicut ego, jam a me missas expostulant pro ipsis defunctis.

5. An liturgia audire sit de praecepto Ecclesiae in diebus festivis ?

℟. Affirmative.

6. An in festis praenunciet nedum festa . . . . Graecorum de praecepto, sed etiam nostra Latinorum ?

℟. Sic.

7. Num teneat Concilium Tridentinum ?

℟. Teneo, et accepto.

8. Num in liturgia oret pro pseudo-patriarcha Constantinopolitano schismatico, et haeretico ?

℟. Non, sed pro Pontifice Romano.

9. Num Chrisma, oleum Cathecumenorum, et oleum infirmorum debeat recipi ab Episcopo Latino ?

℟. Affirmative.

10. Num presbyter Graecus (ut solent schismatici) debeat ministrare sacrum confirmationis ?

℟. Non, sed solus Episcopus.

11. Num infirmis ministret extremam unctionem ?

℟. Quando petunt. Nos autem jussimus, ut etiam non petentibus administret, quando periculose aegrotant.

12. Num ipse possit excommunicare, interdicere, et hujusmodi, ut solent Graeci Schismatici ?

℟. Non, nisi de licentia ordinarii.

13. Num sibi liceat impedire, aut dissuadere Graecos, ne transeant ad ritum Ecclesiae nostrae Romanae ?

℟. Sub dubio. Nos autem sub poena Excommunicationis ei interdiximus, ne hoc faciant.

14. Num doceat Doctrinam Christianam populum ?

℟. Non me intelligunt, neque in Latina, neque in Graeca lingua, enim cives hujus casalis sunt Albanensi non autem Graeci, licet ritum Graecorum uti liceat, quam Latinorum.

15. Num intersit Matrimoniis Clandestinis . ℟. fiunt publice in Ecclesia. Nos autem ei praecipimus sub poena excommunicationis juxta concilium Tridentinum, ut antequam hoc sacrum fiat, tres monitiones publicentur tribus diebus festivis ; quod praeceptum libenter suscepit etiam Dominus regiminis praedicti casalis qui huic interrogationi, et visitationi aderat.

16. Num debeat celebrare in Ecclesiis Latinorum?

℟. Potest cum licentia superioris.

17. Utrum possit ministrare sacra in Ecclesiis Latinorum?

℟. Credo quod sic. Nos autem ei interdiximus, ne administret, casali . . . S. Pauli sub poena privationis ministerii Sacror.

Deinde.

1. Visum sacrum fermentatum, quod (in coena Domini consecratum juxta Graecor. ritum) asservatum pro infirmis per totum annum, quod quidem erat in custodia lignea, et intus carta alba. Jussit ergo Romanus Vicarius sicut in praecedenti visitatione ab Illustrissimo Episcopo Malaspina ordinatum est, ut fiat custodia argentea cum corporali, et tabernaculum intus cooperiatur serico, cui supponatur scabellum.

2. Altare non est consecratum, more n. Graecor., corporale telae ceratae ab episcopo benedictum habetur, ut lapis sacratus, jussit tamen Romanus, ut fiat corporale album more Latinorum, et calix intus auratum, et fiat patena argentea, et fiant tres tobaleae, quae totum altare cooperiant.

3. In aqua sacra baptismo reperta est rana viva parva, et fons lapideus foris, et intus calce tunicatus, in cujus fundo nescio quid foecis viridis croceae, et nigri apparebat. Unde jussit Romanus, ut tolleretur illa aqua corrupta, et a curato alia nova benedicta infunderetur, cum Graeci hanc de novo saepesaepius benedic . . . juxta eor. ritum, quamvis ab ipsis semel tantum solemniter in singulis annis benedicatur, ordinavit ut . . . . clavibus occludatur.

4. Jussit Romanus Dominus statuae S. Antonii absque capite, vel reficiatur, vel penitus delegatur propter irreverentiam.

5. Panis benedicetur a Sacerdote Graeco in liturgia, cum sit ejusd. virtutis, sicut aqua benedicta apud Latinos; ideo Graeci hanc pro Latinis tum faciunt, sed negligentius. Quamobrem jussit Romanus ut in eo vase, quod immundum vidimus, singulis dominicis puriore decore renovetur.

6. Quia hanc Ecclesiam in parte vidimus detectam, jussimus, ut quamprimum tagatur.

7. Caemeterium saepe circumdari per bestias, et in medio crucem affigi, et nullum sub pavimento Ecclesiae (nisi fiat sepultura) sub poena excommunicationis sepelliri jussum est.

FERDINANDO I.

PER LA GRAZIA DI DIO

RE DEL REGNO DELLE DUE SICILIE,

DI GERUSALEMME ec.

INFANTE DI SPAGNA, DUCA DI PARMA,

PIACENZA, CASTRO ec. ec.

GRAN PRINCIPE EREDITARIO DI TOSCANA ec. ec. ec.

Restituiti Noi col divino favore in questa parte de' nostri reali dominj, rivolgemmo i nostri primi sguardi sullo stato della nostra sacrosanta religione, e vedemmo il bisogno di dirigere tutte le nostre cure al riordinamento delle cose ecclesiastiche, che durante la nostra assenza, erano state nella calamità de' tempi neglette.

A questa nostra sollecitudine ha corrisposto con tutta la purità del suo evangelico zelo il Santissimo Sommo Pontefice Pio VII. Quindi è stato colla più viva alacrità del nostro real animo felicemente conchiuso tra Noi, e la Santità Sua solenne Concordato, di cui il tenore è il seguente.

CONCORDATO

FRA SUA SANTITA'

PIO VII.

SOMMO PONTEFICE,

E SUA MAESTA'

FERDINANDO I.

RE DEL REGNO DELLE DUE SICILIE

IN NOME DELLA SANTISSIMA TRINITA'

Sua Santità il Sommo Pontefice Pio VII, e sua Maestà Ferdinando I Re del Regno delle Due Sicilie, animati da un egual desiderio di riparare i disordini, che nelle materie ecclesiastiche si sono introdotti nel regno, hanno determinato di comune accordo di stabilire fra loro una nuova convenzione.

Quindi Sua Santità il Sommo Pontefice Pio VII ha nominato suo plenipotenziario l'Eminentissimo signore Ercole Consalvi, Cardinale della S. R. C., Diacono di *S. Maria ad Martyres*, suo Secretario di Stato:

E sua Maestà Ferdinando I Re del regno delle due Sicilie, l'Eccellentissimo signor D. Luigi de' Medici, cavaliere del real Ordine di S. Gennaro, Gran-Croce de' reali Ordini di S. Ferdinando e del merito, e Constantiniano di S. Giorgio, e dell' imperial Ordine di S. Stefano di Ungheria, suo Consigliere e Segretario di Stato Ministro delle finanze.

I quali, dopo avere mutuamente cambiate le rispettive plenipotenze, hanno convenuto ne' seguenti articoli:

Art. 1. La religione cattolica apostolica romana è la sola religione del regno delle Due Sicilie; e vi sarà sempre conservata con tutti i dritti e prerogative che le competono, secondo l' ordinazione di Dio, e le sanzioni canoniche.

Art. 2 In conformità dell' articolo precedente, l'insegnamento nelle regie Università, collegj e scuole, sì pubbliche, che private, dovrà in tutto essere conforme alla dottrina della medesima religione cattolica.

Art. 3. Riconosciutasi nella convenzione del 1741 la necessità di venire alla unione di parecchi piccolissimi vescovati, dove i vescovi non possono mantenersi colla decenza dovuta; e questa unione che allora non fu eseguita, essendo ora divenuta ancor più necessaria per la maggior decadenza delle suddette ed altre Mense; si farà ne' dominj di quà dal Faro nel modo debito, e ricercato prima il consenso delle parti che vi avranno interesse, una nuova circoscrizione di diocesi. Nel determinarla si avrà riguardo al comodo de' fedeli, ed in particolar modo al loro spirituale vantaggio. Tra le Sedi, che o per troppa scarsezza di rendite, o per l'oscurità de' luoghi, o per altri ragionevoli motivi non potranno conservarsi, le più antiche, e le più insigni si conserveranno come concattedrali.

Ne' dominj poi di là dal Faro si conserveranno tutte le Sedi arcivescovili, e vescovili, che attualmente vi esistono; e di più, affine di provveder meglio al comodo ed al vantaggio spirituale de' fedeli, ne sarà accresciuto il numero.

I territorj di alcune abbadie *nullius dioecesis*, sia per la loro picciolezza, sia per la tenuità delle loro rendite, sia per la perdita che ne hanno fatta, verranno di concerto uniti a quelle diocesi entro i cui confini si troveranno nella nuova circoscrizione.

Le abbadie concistoriali, le quali si ritrovano colla rendita al di là di cinquecento ducati annui, rimarranno senza essere aggregate. I fondi delle altre minori della rendita suddetta, quando non sieno di gius-patronato, o si aggregheranno ad altre abbadie ecclesiastiche sino alla indi-

cata somma di ducati cinquecento, o ne sarà disposto in favore de' Capitoli, e delle parrocchie.
Questa disposizione non riguarda le commende degli Ordini militari.

Art. 4 Ciascuna Mensa vescovile del regno non potrà avere una rendita minore di annui ducati tremila in beni stabili, libera da' pubblici pesi.

La Santità Sua di concerto con Sua Maestà assegnerà il più presto possibile tali dotazioni in favore di quei vescovati, a' quali sarà applicabile la presente disposizione.

Art. 5 Ciascuna chiesa, sia arcivescovile, sia vescovile, avrà il suo capitolo, e seminario, a' quali sarà conservata, se sufficiente, o accresciuta, se mancante in parte, e se fosse necessario, anche per intero assegnata una sufficiente dote in beni stabili.

Ciascuna dignità del Capitolo metropolitano di Napoli non avrà meno di ducati cinquecento di annua rendita; e gli altri canonicati non meno di ducati quattrocento.

Le dignità de' Capitoli delle altre chiese arcivescovili e vescovili, che nella nuova circoscrizione verranno stabilite nella parte del regno di quà dal Faro, non dovranno avere meno di ducati centottanta di annua rendita, i canonicati non meno di ducati cento.

Questa disposizione non comprende i canonicati di padronato regio, ecclesiastico, e laicale, i quali si conserveranno nello stato, in cui sono, a meno che da' rispettivi padroni non se ne vogliano nelle debite forme aumentare le rendite.

I seminarj saranno regolati, e le loro rendite amministrate a tenore del Concilio di Trento.

Art. 6 Le rendite delle chiese da unirsi si applicheranno a quelle chiese, che nella nuova circoscrizione si conserveranno, meno che altri casi urgenti delle suddette chiese da riunirsi richiedessero altra applicazione ecclesiastica, da farsi coll' intervento dell' autorità della Santa Sede.

I Capitoli di quelle chiese, che nella nuova circoscrizione non saranno conservate, ricercato prima il consenso degl' interessati, saranno convertiti in Capitoli collegiati; e la loro rendita rimarrà tal quale si trova nello stato presente.

Art. 7 Le parrocchie le quali non hanno una sufficiente congrua, avranno un supplimento di dote in tale proporzione, che le cure al di sotto di duemila anime non abbiano meno di ducati cento annui; quelle al di sotto di cinquemila anime, ducati cencinquanta; le altre finalmente di cinquemila anime in sopra, non meno di ducati ducento annui.

Sarà a carico dei rispettivi cumuni il mantenimento della chiesa parocchiale, e del sottoparoco, qualora non vi siano rendite addette a questo fine; e per la sicurezza se ne assegneranno i fondi, o tassa privilegiata nel pagamento.

Questo articolo non comprende le chiese parrocchiali di gius-padronato regio ecclesiastico e laicale canonicamente acquistato, le quali saranno a carico de' rispettivi patroni.

Nè pure vi restano comprese le chiese ricettizie, sieno numerate, sieno innumerate, i Capitoli e le collegiate con cura di anime, avendo la loro congrua nella massa comune.

Art. 8 La collazione delle abbadie concistoriali, che non sono di regio patronato, spetterà sempre alla Santa Sede, che le conferirà ad ecclesiastici sudditi di sua Maestà.

I benefizj semplici di libera collazione con fondazione ed erezione in titolo ecclesiastico saranno conferiti dalla Santa Sede, e da' vescovi, secondo la distinzione de' mesi ne' quali la vacanza succeda; cioè da gennajo al giugno dalla Santa Sede, e da luglio al dicembre da' vescovi. La provvista sarà sempre in persone di sudditi di Sua Maestà.

Art. 9 Si rassegnerà sollecitamente al Santo Padre la nota delle abbadie, come si ritrova nella Curia del Cappellano maggiore, che sono di nomina di Sua Maestà, e la nota di quelle che non sono di regio patronato. Queste note potranno in seguito di concerto rettificarsi.

Art. 10 I canonicati di libera collazione, tanto de' Capitoli cattedrali, che de' collegiati, si conferiranno rispettivamente dalla Santa Sede, e da' vescovi; cioè ne' primi sei mesi dell' anno dalla Santa Sede, e ne' secondi sei mesi da' vescovi.

La prima dignità sarà sempre di libera collazione della Santa Sede.

Art. 11. La Santità Sua accorda a' vescovi del regno il dritto di conferire le parrocchie, che verranno a vacare in ogni tempo. Previo il concorso nelle parrocchie di libera collazione, i vescovi le conferiranno a' soggetti fra gli approvati ch' eglino giudicheranno i più degni. Nelle parrocchie poi di gius-patronato ecclesiastico, premesso pure il concorso, daranno l' istituzione a quelli che il patrono ecclesiastico presenterà come i più degni fra gli approvati dagli esaminatori. Finalmente nelle parrocchie di gius-patronato regio, e laicale, il vescovo instituirà il presentato, purchè nell' esame sia rinvenuto idoneo.

Si eccettuano le parrocchie che vacheranno in Curia, o per promozione a qualche dignità ecclesiastica, o canonicato conferito dalla Santa Sede, le quali saranno di collazione pontificia.

Art. 12. Tutti i beni ecclesiastici non alienati dal governo militare, e che al ritorno di

Sua Maestà si sono trovati nell' amministrazione del così detto demanio, sono restituiti alla Chiesa.

Seguita la ratifica del presente concordato, la massa degli anzidetti beni sarà interinamente amministrata da quattro sceltissimi soggetti, due de' quali verranno nominati da Sua Santità, e due dalla Maestà Sua; e questi dovranno fedelmente amministrarli, finchè non sieno nel modo debito destinati ed applicati.

Art. 13. Essendo stata alienata sotto il governo militare ne' dominj di quà dal Faro non poca parte de' beni appartenenti alla Chiesa, e la Maestà Sua per opporsi con tutti gli sforzi possibili alla incursione nemica, essendo stata anch' essa, tanto in Napoli, prima che seguita fosse la invasione de' detti dominj, quanto in quelli di là dal Faro, onde impedire che fossero invasi, ad alienare una piccola quantità di fondi ecclesiastici, con avere assegnato a' possessori ecclesiastici ne' suddetti dominj di là dal Faro per la dovuta indennizzazione altrettante rendite civili; quindi ad istanza della Maestà Sua, ed avuto riguardo alla pubblica tranquillità, che alla religione sommamente importa di conservare, Sua Santità dichiara, che i possessori di tutti gli anzidetti beni non avranno alcuna molestia nè da' Romani Pontefici suoi successori; e che in conseguenza la proprietà degli stessi beni, le rendite e i diritti a quelli annessi, saranno immutabili presso i medesimi, e quelli che hanno causa da loro.

Art. 14. Le attuali ristrette circostanze economiche del patrimonio regolare non alienato, e trovato da Sua Maestà al suo ritorno nell' amministrazione del così detto Demanio, non permettendo di ripristinare tutte le case religiose dell' uno e dell' altro sesso, le medesime verranno ripristinate in quel maggior numero che sarà compatibile co' mezzi di dotazioni, e specialmente le case di quegl' Instituti, che sono addetti alla istruzione della gioventù nella religione e nelle lettere, alla cura degl' infermi, ed alla predicazione.

I beni de' Regolari possidenti, non alienati, saranno con debita proporzione ripartiti fra i conventi da riaprirsi, senza avere alcun riguardo a' titoli delle antiche proprietà, che in vigore del presente articolo tutti restano estinti.

I locali religiosi non alienati, eccettuati quelli interamente addetti ad usi pubblici, se per mancanza di mezzi non potranno ripristinarsi, formeranno parte del patrimonio regolare; ed essendovi l' utilità del detto patrimonio, potranno anche alienarsi colla condizione che il prezzo che se ne ritrarrà, debba surrogarsi in vantaggio del patrimonio medesimo.

Si aumenterà il numero de' conventi tuttavia esistenti de' religiosi osservanti, riformati, alcantarini e cappuccini, qualora le circostanze ed i bisogni delle popolazioni lo richieggono.

Fissate le rendite e le località già enunciate, sarà libera la vestizione de' novizj degli ordini regolari possidenti, e delle monache, in proporzione de' mezzi di sussistenza; come allo stesso modo sarà libera la vestizione de' novizj pe' religiosi mendicanti.

Le doti delle fanciulle che si monacheranno, saranno impiegate in favore del monistero, secondo le disposizioni canoniche.

Tutti i religiosi, sì mendicanti, che possidenti, che saranno ripristinati, egualmente che quelli che esistono, dipenderanno da' loro rispettivi superiori generali.

A' religiosi di quegli Ordini regolari possidenti che si riammetteranno ne' dominj di quà dal Faro, ottenendo l' indulto apostolico di secolarizzazione, e non essendo provveduti di benefizio ecclesiastico, il Governo per conto dell' erario continuerà a titolo di patrimonio la pensione, di cui ora godono, finchè sieno provveduti di un corrispondente benefizio, o cappellania. A' religiosi poi di quegl' Instituti, che non potranno ripristinarsi, il Governo continuerà in indistintamente il pagamento delle loro attuali pensioni.

Art. 15. La Chiesa avrà il dritto di acquistare nuovi possedimenti; e qualunque acquisto faccia di nuovo, sarà suo proprio, e godrà dello stesso dritto, che le antiche fondazioni ecclesiastiche.

Questa facoltà s' intende da oggi innanzi, e senza che sia di pregiudizio agli effetti legali delle leggi di ammortizzazione, che sono state in vigore finora, ed alla esecuzione delle suddette leggi anche in futuro pe' casi non ancora consumati, e per le condizioni non ancora verificate.

Non potrà farsi suppressione alcuna, o unione delle fondazioni ecclesiastiche senza l' intervento dell' autorità della Sede apostolica; salve le facoltà attribuite a' vescovi dal Sacro Concilio Tridentino.

Art. 16. Le luttuose circostanze de' tempi non permettendo che gli ecclesiastici godano l' esenzione da' pubblici pesi regj e comunali, Sua Maestà promette di far cessare l'abuso ne' passati tempi introdotto, per cui gli ecclesiastici e i loro beni venivano più gravati de' laici stessi;

che anzi a' momenti felici di maggiori risorse dello Stato dal religioso Sovrano si supplirà con elargizioni in vantaggio del clero.

ART. 17. Resterà soppresso il così detto Monte frumentario eretto in Napoli, o sia la regia amministrazione degli spogli e delle rendite delle Mense vescovili, abbadie ed altri benefizj vacanti.

Appena eseguita la nuova circoscrizione delle diocesi, si stabiliranno in vece, in ciascuna di esse, delle amministrazioni diocesane composte da due canonici, che il Capitolo, sia metropolitano, sia cattedrale, eleggerà e rinnoverà di tre in tre anni per pluralità di voti, e da un regio procuratore che verrà nominato da Sua Maestà.

A ciascuna amministrazione presederà il vescovo, o il di lui vicario generale, e nel tempo di sede vacante, il vicario capitolare.

L' ordinario, e sua Maestà per mezzo del suo regio Ministro, erogheranno di concerto il frutti percepiti da' sopraddetti vacanti a beneficio delle chiese, degli ospedali, de' seminarj, in sussidj caritativi ed in altri usi pii. Sarà però riservata la metà delle rendite delle Mense vescovili vacanti in favore del futuro vescovo.

La risoluzione tuttora vigente di depositare nel sopraddetto Monte frumentario la terza parte delle rendite de' vescovadi e benefizj, sotto il nome di *terzo pensionabile*, in forza del presente articolo resta abrogata, senza che per questo gli attuali pensionati rimangano privi delle pensioni delle quali sono in possesso.

All' occasione delle provviste de' vescovati e benefizj di nomina regia, continuerà ad ammettersi la riserva delle pensioni, secondo le forme canoniche. I nominati da Sua Maestà a tali pensioni otterranno dalla S. Sede le corrispondenti bolle apostoliche, colle quali saranno abilitati a percepirle, vita loro naturale durante; rimanendo dopo la loro morte libero da tal peso il vescovado e benefizio, a carico del quale erano state riservate.

ART. 18. S. Santità sopra alcuni vescovadi ed abbadie del regno che verranno stabilite, si riserva *in perpetuum* dodicimila ducati annui di pensioni, delle quali il Romano Pontefice *pro tempore* disporrà a suo piacimento in benefizio de' suoi sudditi dello Stato ecclesiastico.

ART. 19. I benefizj ed abbadie situate nel regno delle Due Sicilie, i di cui frutti, o in parte, o in tutto, si trovano applicati a persone ecclesiastiche, ed a varie chiese, collegj, monasterj, e pie case di Roma, e di altri paesi dello Stato ecclesiastico, dovranno continuare ad essere applicati per lo stesso uso. Questa disposizione non comprende i benefizj ed abbadie di regio padronato, nè quelli, i di cui beni sono alienati.

ART. 20. Gli arcivescovi ed i vescovi saranno liberi nell' esercizio del loro pastorale ministero, secondo i sacri canoni.

Riconosceranno nel loro Foro le cause ecclesiastiche, e principalmente le cause matrimoniali, che giusta il canone 12 Sess. 24 del sacro Concilio Tridentino spettano a' giudici ecclesiastici, e porteranno su di esse sentenza. Non sono comprese in questa disposizione le cause civili de' cherici, come per esempio, quelle di contratti, debiti, eredità, le quali saranno conosciute, e definite da' giudici laici.

Castigheranno colle pene stabilite dal sacro Concilio di Trento, o altre che giudicheranno opportune, i cherici degni di riprensione, o che non portin l'abito chericale conveniente alla loro dignità, e al loro ordine, salvo il ricorso canonico, e li rinchiuderanno ne' seminarj, e nelle case de' regolari. Procederanno eziandio colle censure contro qualunque tra' fedeli, che sia trasgressore delle leggi ecclesiastiche, e de' sacri canoni.

Non saranno impediti dal fare le sacre visite delle rispettive loro diocesi, e *ad limina apostolorum*, e dal convocare i sinodi diocesani.

A' medesimi arcivescovi e vescovi sarà libero di comunicare col clero, e col popolo diocesano per dovere dell' officio pastorale; pubblicare liberamente le loro istruzioni sulle cose ecclesiastiche; ordinare, ed intimare le preghiere pubbliche, ed altre pie pratiche, quando lo richiederà il bene della Chiesa, o dello Stato, o del popolo.

Le cause maggiori spetteranno al Sommo Pontefice.

ART. 21. Gli arcivescovi e vescovi promuoveranno a' sacri ordini, previo il prescritto esame, e quando sieno provveduti del debito patrimonio, o di altro titolo canonico, quei cherici, che giudicheranno necessarj, o utili alle loro diocesi, colle cautele però, e prescrizioni contenute nel decreto del 1 Luglio 1623 della Sa. Me. di Gregorio XV, e nel Concordato Benedettino, capitolo 4, che ha per titolo *Requisiti de' promovendi*: quali cautele, e prescrizioni non sono derogate col presente Concordato.

Essendo necessario di provvedere al sufficiente sostentamento di ciascun ecclesiastico, che ne' presenti tempi esige maggiori mezzi, gli arcivescovi e vescovi da ora in poi aumenteranno la tassa del sacro patrimonio per gli ordinandi, da costituirsi in beni fondi, la quale non potrà essere nè in minor somma di ducati cinquanta, nè maggiore di ottanta.

L'esperienza avendo dimostrato che nel regno accade frequentemente, che nel costituire i patrimonj sacri, si fanno degli assegni fraudolenti, o simulati, o non liberi da ipoteche ed altri vincoli, per cui gli ordinati a titolo di tali patrimonj si trovano poi sprovveduti, e mancanti di sussistenza; ad evitare quindi questo abuso, dovrà per la verità del fatto constare in forma legale della pertinenza e della esenzione da ogni vincolo d'ipoteca del fondo, o fondi, che dall'ordinando si costituiscono in patrimonio sacro: al qual effetto le curie ecclesiastiche richiederanno il documento della pertinenza e libertà del fondo al tribunale civile della provincia, il quale non potrà ricusarlo.

I promovendi a' sacri ordini a titolo di beneficio, o cappellania, per essere ordinati, dovranno costituirsi un supplimento certo fino all'ammontare della tassa diocesana, come sopra quando il frutto di esso beneficio, o cappellania fosse minore di detta tassa.

Questa disposizione non comprende le diocesi, nelle quali già fosse stata canonicamente stabilita una tassa patrimoniale maggiore, a riguardo delle quali non avrà luogo alcun cambiamento.

Art. 22. Sarà libero di appellare alla Santa Sede.

Art. 23. La comunicazione colla Santa Sede de' vescovi, clero, e popolo su tutte le materie spirituali, e gli oggetti ecclesiastici, sarà pienamente libera; e per conseguenza le circolari, leggi e decreti del *licet scribere* sono rivocati.

Art. 24. Ogni qualvolta gli arcivescovi ed i vescovi ne' libri introdotti, o che s' introducono stampati, o che si stampano nel regno, troveranno qualche cosa contraria alla dottrina della Chiesa, ed a' buoni costumi, il Governo non ne permetterà la divulgazione.

Art. 26. Sua Maestà sopprime la carica di regio Delegato della giurisdizione ecclesiastica.

Art. 25. La Curia del Cappellano maggiore e la sua giurisdizione si conterrà ne' limiti della Costituzione di Benedetto XIV, che comincia *Convenit*, e del susseguente *Motuproprio* dello stesso Pontefice sul medesimo oggetto.

Art. 27. La proprietà della Chiesa sarà sacra ed inviolabile ne' suoi possessi ed acquisti.

Art. 28. In considerazione della utilità che dal presente Concordato ridonda nella religione e nella Chiesa, e per dare un attestato di particolare affezione alla persona di Sua Maestà il Re Ferdinando, Sua Santità accorda in perpetuo a lui, ed a' suoi discendenti cattolici successori al trono, l'indulto di nominare degni ed idonei ecclesiastici, forniti delle qualità richieste da' sacri canoni, à tutti que' vescovadi ed arcivescovadi del regno delle Due Sicilie, pe' quali Sua Maestà finora non godeva del dritto della nomina: e a tale effetto, tostochè sieno seguite le ratifiche del presente Concordato, S. Santità farà spedire la Bolla d'indulto.

Sua Maestà manifesterà in tempo debito à S. Santità i nominati, affinchè a tenore de' canoni si facciano i necessarj processi, ed ottengano la istituzione canonica ne' modi e forme praticate finora. Prima però che l'abbiano avuta, non potranno in verun modo intromettersi nel regime, o sia nell' amministrazione delle rispettive Chiese, alle quali sono nominati.

Art. 29. Gli arcivescovi ed i vescovi faranno alla presenza di sua Maestà il giuramento di fedeltà, espresso colle seguenti parole.

Io giuro e prometto sopra i santi Evangelj obbedienza e fedeltà alla reale Maestà. Parimente prometto, che io non avrò alcuna comunicazione, nè interverrò ad alcuna adunanza, nè conserverò dentro, o fuori del regno, alcuna sospetta unione, che noccia alla pubblica tranquillità. E se, tanto nella mia diocesi, che altrove saprò che alcuna cosa si tratti in danno dello Stato, lo manifesterò a Sua Maestà.

Art. 30. Quanto agli altri oggetti ecclesiastici, de' quali non è stata fatta menzione ne' presenti articoli, le cose saranno regolate a tenore della vegliante disciplina della Chiesa: e sopravvenendo qualche difficoltà, il Santo Padre, e sua Maestà si riservano di concertarsi fra loro.

Art. 31. Il presente Concordato è sostituito a tutte le leggi, ordinazioni e decreti emanati finora nel regno delle Due Sicilie sopra materie di religione.

Art. 32. Essendosi rappresentato a Sua Santità per parte della Maestà Sua, che, attese le attuali necessità delle chiese del regno di quà dal Faro, e gli effetti prodotti dall' inimica invasione, la convenzione del 1741 non è più sufficiente a provvedere a' mali che richieggono un indispensabile riparo; e che altresì la parte de' dominj di là dal Faro, che la convenzione suddetta non abbracciò, è pure bisognosa di provvidenze, e che d'altronde essendosi de' dominj di

quà e di là dal Faro fatto ora un regno solo, conviene fissare una regola uniforme, da osservarsi egualmente nelle chiese di amendue i suddetti dominj; resta convenuto, che il presente Concordato è sostituito al precedente.

Art. 33. Ognuna delle alte Parti contraenti promette in suo nome, ed in quello de' suoi successori, di osservare esattamente tuttociò che si è convenuto in questi articoli.

Art. 34. Le ratifiche del presente Concordato saranno cambiate in Roma, non oltre lo spazio di quindici giorni dalla data del presente.

Art. 35. Seguita la ratifica del presente Concordato, si commetterà l'esecuzione del medesimo a due sceltissimi soggetti, uno da nominarsi da Sua Santità, e l'altro dalla Maestà Sua, i quali saranno muniti dalle rispettive Parti contraenti delle opportune facoltà.

In fede di che i suddetti Plenipotenziarj hanno sottoscritto il presente Concordato, e vi hanno apposto i loro sigilli.

Fatto in Terracina, il giorno sedici di Febbrajo dell'anno mille ottocento diciotto.

Firmato, Ercole Cardinal Consalvi.
Firmato, Cavalier Luigi de' Medici.

Ed essendo nostra sovrana volontà, che il soprascritto Concordato già ratificato per parte nostra il dì 25 del passato mese di Febbrajo, e per parte della Santità Sua nel dì primo del corrente marzo, e pubblicato dalla medesima Santità Sua nel concistoro del dì 16 dello stesso mese, abbia il pieno effetto;

Sulla proposizione del nostro Consigliere e Segretario di Stato Ministro degli affari esteri;

Udito il nostro Consiglio di Stato;

Abbiamo risoluto di *sanzionare*, e *sanzioniamo* la seguente legge.

Art. I.

Tutti gli articoli del soprinserito Concordato saranno puntualmente e religiosamente di parola in parola osservati ed eseguiti in tutto il nostro regno delle Due Sicilie, dal dì della pubblicazione della presente legge.

Art. II.

Nella pienezza del nostro sovrano potere dichiariamo, che il presente Concordato è sostituito a tutte le leggi, ordinazioni e decreti emanati finora nel nostro regno delle Due Sicilie sopra materie di religione.

Vogliamo e comandiamo che questa nostra legge da noi sottoscritta, riconosciuta dal nostro Consigliere e Segretario di Stato Ministro di grazia e giustizia, munita del nostro gran sigillo, e contrassegnata dal nostro Consigliere e segretario di Stato Ministro Cancelliere, e registrata e depositata nella Cancelleria generale del regno delle Due Sicilie, si pubblichi colle ordinarie solennità per tutto il detto regno, per mezzo delle corrispondenti autorità, le quali dovranno prenderne particolar registro, ed assicurarne l'adempimento.

Il nostro Ministro Cancelliere del Regno delle Due Sicilie è specialmente incaricato di vegliare alla sua pubblicazione.

Napoli, il dì 21 Marzo 1818.

Firmato — FERDINANDO.

Il Segretario di Stato
Ministro di grazia e giustizia

Firmato Marchese Tommasi.

Il Segretario di Stato
Ministro Cancelliere

Firmato Marchese Tommasi.

Pubblicata in Napoli nel dì 22 di Marzo 1818.

FERDINANDO I.

PER LA GRAZIA DI DIO

RE DEL REGNO DELLE DUE SICILIE

DI GERUSALEMME ec.

INFANTE DI SPAGNA, DUCA DI PARMA, PIACENZA, CASTRO ec. ec.

GRAN PRINCIPE EREDITARIO DI TOSCANA ec. ec. ec.

Per togliersi qualsivoglia dubbio sul metodo delle provviste delle partecipazioni stabilite nelle così dette chiese ricettizie, numerate, ed innumerate, de' nostri Reali Dominj al di quà dal Faro; ha il Santo Padre, di concerto con essonoi, emanato un Breve Apostolico, il tenore del quale è il seguente:

PIUS PAPA VII.

Ad perpetuam Rei memoriam v. ad num. 238 *et seqq.*

Impensa, qua premimur sollicitudo de Dominici Gregis Nobis concrediti salute, ad ea procuranda Nos impellit, quae in minorum etiam Ecclesiarum utilitatem, felicinsque regimen noverimus redundare: Lubenti proinde animo preces excepimus, quas Carissimus in Christo Filius noster Ferdinandus Primus Regni utriusque Siciliae Rex perferendas ad Nos curavit, ut pro utiliori Ecclesiarum, quas dicunt *Receptitias*, sua in Ditione citra Pharum extantium, procuratione opportune consuleremus. Exponi siquidem Nobis fecit, eas receptitias Ecclesias, quae una aliae *Numeratae* nuncupantur, aliae *innumeratae*, prout nimirum vel designatus Ministrorum numerus, vel universi generatim locorum Presbyteri ad sacra peragenda ibidem recipiantur, a pietate Fidelium congruis redditibus esse auctas, qui pro rata portione viritim inter eos distribuuntur, qui ad illarum servitium, ac praesertim ad curam animarum, iisdem ut plurimum adnexam addicuntur: normam tamen aliquam necessario praescribendam esse, qua omni personarum acceptione sublata, receptitiis id genus ecclesiis tales Presbyteri aggregentur; praefinitas portiones, sive menstruas, sive annales recepturi, qui pietate, doctrina, ac prudentia commendati, delatis muneribus in fidelium utilitatem praeclare perfungantur: Nostram idcirco Apostolicam Auctoritatem deposci, ut ejusmodi normam praefiniremus, eamque Ordinariis Locorum accurate servandam committeremus. Cum itaque hoc pientissimi Regis desiderium in summam animarum utilitatem, et in sanctiorem earumdem Ecclesiarum cultum cessurum esse dignoverimus, annuendum eidem sine haesitatione censuimus, cumque nulla de receptitiis Ecclesiis peculiaris dispositio fuerit constituta in Conventione superiori anno cum Majestate sua inita, Apostolica Auctoritate praedictarum Ecclesiarum utiliori procurationi providere duximus eo modo quo magis in Domino conspeximus expedire. Quare ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium decernimus, et mandamus, ut in posterum ad portiones suscipiendas in Ecclesiis *receptitiis* illi tantum admittantur Sacerdotes, et Clerici qui a Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis; et Episcopis, aut Ordinariis locorum, pietate, ac doctrina commendatiores fuerint inventi. Jubemus proinde, ut quoties aliquis in possessionem juris praestitutae portionis assequendae in *receptitiis* Ecclesiis fuerit immittendus, specimen antea ingenii, ac morum de iis habeatur, qui in illam admitti desiderant, et examen de ipsis instituatur coram Ordinariis ipsis, vel eorum Vicariis Generalibus, et tribus saltem ex Synodalibus examinatoribus, eoque rite peracto Ordinarius pro sua fide, et integritate, quos digniores judi-

caverit, eos eligat, atque in possessionem immittat juris praestitutae portionis assequendae. Eos vero sic electos, literisque Ordinariorum commendatos, veluti certae cuidam Ecclesiae receptitiae aggregatos, et adscriptos, ac in possessionem juris praestitutae portionis assequendae immissos agnosci volumus, adempta cuilibet, ac praesertim competitoribus non electis, facultate interponendi appellationem ad Metropolitanum, seu ad Episcopum Provinciae antiquiorem, pro quibus dumtaxat causis usum appellationum hujusmodi interdictum declaramus. Confidimus vero summopere, Venerabiles Fratres Archiepiscopos, et Episcopos, ac Ordinarios Locorum nedum Nostris hisce praeceptis, quae pro meliori Ecclesiarum hujusmodi ministerio protulimus, magna semper voluntate, studioseque obsequuturos, imo vero pro rei gravitate studium omne adhibituros, ut Ministri cujusque Ecclesiae rationibus accommodati adsciscantur, qui et sui muneris partes diligenter gerant, et instituendis populis, iisque in Coeli semita dirigendis, opera, consilio, sollicitudine praesto sint.

Decernentes has praesentes Literas semper firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios, et delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuntios, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, fel. rec. Benedicti Papae XIV. Praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, nec non dictarum Ecclesiarum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et de verbo, ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus.

Volumus tandem, ut praesertim literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae ad apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XIII. Augusti MDCCCXIX. Pontificatus Nostri Anno XX. (*).

Firmato: H. CARD. CONSALVUS.

Ed essendo nostra Sovrana volontà, che il soprascritto Breve abbia il suo pieno effetto;

Sulla proposizione del nostro Consigliere e Segretario di Stato Ministro degli affari Ecclesiastici,

Abbiamo risoluto di decretare, e decretiamo quanto siegue:

ART. I.

Le disposizioni contenute nel Breve soprainserto saranno puntualmente, e religiosamente osservate.

(*) *Quidquid de provisione locorum participationis edictum in Synodo est, et signanter num. 182, ad instar hujus Apostolicae Constitutionis erit moderandum.*

ART. II.

Le anzidette disposizioni rimarranno surrogate a quelle contenute nella nostra circolare del dì 26 agosto 1797, riguardanti lo stesso oggetto.

ART. III.

Il nostro Consigliere, e Segretario di stato Ministro degli Affari ecclesiastici è incaricato dell' esecuzione del presente decreto.

Napoli 7 Settembre 1819.

Firmato: FERDINANDO.

Il Segretario di Stato
Ministro degli Affari Ecclesiastici
Firmato: MARCHESE TOMMASI.

Il Segretario di Stato
Ministro Cancelliere
Firmato: MARCHESE TOMMASI.

Certificato conforme,
Il Segretario di Stato Ministro Cancelliere,
Firmato: MARCHESE TOMMASI.
Per copia conforme,
Il Segretario di Stato Ministro degli Affari Ecclesiastici,
MARCHESE TOMMASI.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam. v. ad num. 14.

Ecclesiam a Jesu Christo Servatore nostro supra firmam petram fundatam, et adversus quam ipsemet Christus promisit nunquam portas inferi praevalituras, tot saepe, ac tam formidolosi hostes aggressi sunt, ut nisi divina illa, et quae transire non potest promissio, intercessisset, metuendum videretur, ne Ipsa illorum aut vi, aut artibus, aut calliditate circumventa, penitus interiret. Quod vero superioribus temporibus evenit, id etiam et praecipue quidem luctuosa hac nostra aetate factum est, quae novissimum illud tempus esse videtur tanto ante ab Apostolis praenuntiatum, quo (1) venient illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Nec enim quemquam latet quanta scelestorum hominum multitudo difficillimis hisce temporibus convenerit in unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus, qui id praecipue curant, ut deceptis per philosophiam et inanem fallaciam (2) fidelibus, et ab Ecclesiae doctrina avulsis, ipsam Ecclesiam, irrito licet conatu, labefactent, et evertant. Quod ut facilius assequerentur eorum plerique occultos coetus, clandestinasque sectas coegerunt, ex quibus futurum sperabant, ut plurimos in suae conjurationis et sceleris societatem liberius pertraherent.

Iampridem Sancta haec Sedes, his sectis detectis, magna liberaque voce contra eas clamavit, et consilia, quae clam ab iis essent inita contra religionem, imo et contra civilem societatem, patefecit. Iampridem omnium excitavit diligentiam ut caverent ne his sectis id conari

(1) *In epist. B. Iudae ap. v.* 18.
(2) *Colos. Cap.* 2 *v.* 8.

liceret quod nefarie meditabantur. Verum dolendum est his Sedis Apostolicae studiis non eum exitum respondisse, quem ipsa spectabat, et scelestos homines numquam a suscepto consilio destitisse, unde consequuta tandem ea mala sunt, quae Nosmetipsi perspeximus. Imo homines, quorum superbia ascendit semper, novas etiam secratas societates iniri ausi sunt.

Commemorari hoc loco debet societas nuper orta, et longe lateque in Italia, aliisque in regionibus propagata, quae licet in plures sectas divisa sit, ac pro earum varietate diversa, ac distincta inter se nomina aliquando assumat, re tamen, sententiarum et facinorum communione, et foedere quodam inito una est, et *Carbonariorum* plerumque solet appellari. Simulant illi quidem singularem observantiam, et mirificum quoddam studium in Catholicam Religionem, et in Iesu Christi Salvatoris Nostri personam, et doctrinam, quem etiam societatis suae Rectorem, et Magnum Magistrum nefarie aliquando audent appellare. Verum sermones hi, qui super oleum molliti videntur, nihil aliud sunt, quam jacula ad tutius vulnerandos minus cautos a callidis hominibus adhibita, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Sane severissimum illud jusjurandum, quo veteres Priscillianistas magna ex parte imitantes pollicentur se nullo unquam tempore, nullove casu vel patefacturos hominibus in societatem non adscriptis quidquam quod eam societatem respiciat, vel communicaturos cum iis qui in gradibus inferioribus versantur aliquid quod ad gradus pertineat superiores: clandestina illa praeterea, et illegitima conventicula, quae more a pluribus haereticis usurpato ipsi habent, et cooptatio hominum cujuscumque Religionis, et secta in suam societatem, etsi cetera deessent, satis persuadent nullam memoratis eorum dictis fidem haberi oportere.

Verum conjecturis et argumentis opus non est, ut ita de eorum dictis judicetur quemadmodum superius indicatum est. Libri ab ipsis typis editi, quibus ratio adscribitur quae in conventibus superiorum praesertim graduum adhiberi solet, eorum catechismi, et statuta, aliaque authentica et ad fidem faciendam gravissima documenta, nec non eorum testimonia, qui cum eam societatem deseruissent, cui antea adhaeserant, ejus errores et fraudes legitimis judicibus patefecerunt, aperte declarant *Carbonarios* id praecipue spectare, ut magnam licentiam cuique dent Religionem, quam colat proprio ingenio, et ex suis opinionibus sibi fingendi, indifferentia in Religionem inducta, qua vix quidquam excogitari potest perniciosius; ut Iesu Christi passionem per nefarias quasdam suas caeremonias profanent ac polluant; ut Ecclesiae sacramenta (quibus nova alia a se per summum scelus inventa substituere videntur), et ipsa Religionis Catholicae Mysteria contemnant, utque Sedem hanc Apostolicam evertant, in quam quoniam in ea Apostolicae Cathedrae semper viguit principatus (3), singulari quodam odio afficiuntur, et pestifera quaeque, ac perniciosa moliuntur.

Nec minus, ut ex iisdem constat monumentis, scelesta sunt quae *Carbonariorum* societas tradit de moribus praecepta, quamvis confidenter jactet se a suis sectatoribus exigere ut charitatem, ac omne virtutum genus excolant et exerceant, ac diligentissime ab omni vitio abstineant. Itaque libidinosis voluptatibus impudentissime ea favet, docet licere eos interficere qui datam de secreto, quod superius memoratum est, fidem non servaverint; et licet Apostolorum Princeps Petrus praecipiat, ut Christiani (1) omni humanae creaturae propter Deum subjecti sint, sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis etc. jubeatque Paulus Apostolus (2) ut omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, ea tamen societas docet integrum esse seditionibus excitatis reges, ceterosque imperantes, quos per summam injuriam Tyrannos passim appellare audet, sua potestate expoliare.

Haec aliaque hujus societatis dogmata et praecepta sunt. Ex quibus ea extiterunt in Italia facinora nuper a *Carbonariis* commissa, quae adeo gravem honestis, piisque hominibus moerorem attulerunt. Nos igitur, qui speculatores Domus Israel, quae est Sancta Ecclesia, constituti sumus et qui pro pastorali nostro munere cavere debemus, ne dominicus grex Nobis divinitus creditus ullum damnum patiatur existimamus in causa tam gravi non posse ab impuris horum hominum conatibus cohibendis abstinere. Exemplo etiam commovemur felicis recordationis Clementis XII, et Benedicti XIV. Praedecessorum nostrorum, quorum alter IV. Kalendas Majas, anni 1738 constitutione in eminenti, alter XV Kal. Iun. anni 1751 Constitutione Providas.

---

(1) *S. Aug. Ep.* 43.
(2) *Ep.* 1. *Cap.* 2. *v.* 13.
(3) *Rom. Cap.* 3. *v.* 14.

damnarunt, et prohibuerunt societates dei liberi Muratori, seu *Francs Macons*, aut alio quocumque nomine pro regionum, et idiomatum varietate appellatas, quarum societatum fortasse propago, vel certe imitatio haec *Carbonariorum* societas extimanda est. Et quamvis jam duobus edictis per nostram Status secreteriam propositis hanc societatem graviter nos prohibuerimus, memoratos tamen Praedecessores nostros sequentes, graves poenas in hanc societatem solemniori quidem ratione decernendas putamus, praesertim cum *Carbonorii* passim contendant se duobus illis Clementis XII. et Benedicti XIV. constitutionibus non comprehendi, nec sententiis et poenis in illis latis subjici.

Audita igitur selecta congregatione venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium et de ejus consilio, ac etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine praedictam societatem *Carbonoriorum*, aut alio quocumque nomine appellatam, ejus coetus, conventus, collectiones, aggregationes, conventicula damnanda et prohibenda esse statuimus, et decrevimus, prout praesenti nostra perpetuo valitura constitutione damnamus, et probibemus.

Quocirca omnibus, et singulis Christifidelibus cujuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, ac praeeminentiae, sive Laicis, sive Clericis tam saecularibus, quam regularibus, etiam specifica, et individua mentione, et expressione dignis, distincte, et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne quis sub quavis praetextu, aut quaesito colore audeat, vel praesumat praedictam societatem *Carbonariorum*, aut alias nuncupatam, inire, vel propagare, confovere, ac in suis aedibus, seu domibus, vel alibi receptare, vel occultare, illi, et cuicumque ejus gradui adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem, seu commoditatem facere ut alicubi convocetur, eidem aliquid ministrare, seu alias consilium, auxilium, vel favorem palam, aut in occulto, directe, aut indirecte; per se, vel per alios quoquo modo praestare, nec non alios hortari, inducere, provocare, ac suadere ut hujusmodi societati aut cuicumque ejusdem gradui adscribantur, annumerentur, aut intersint, vel ipsam quomodolibet juvent, ac foveant, sed omnino ab eadem societate, ejusque coetibus, conventibus, aggregationibus, seu conventiculis prorsus abstinere se debeant sub poena excommunicationis per omnes, ut supra contrafacientes ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per Nos seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutos, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Praecipimus praeterea omnibus sub eadem Excommunicationis poena Nobis et Romanis Pontificibus successoribus Nostris reservata, ut teneantur denunciare episcopis, vel ceteris ad quos spectat, eos omnes, quos noverint huic societati nomen dedisse, vel aliquo ex iis criminibus quae commemorata sunt, se inquinasse.

Postremo ut omne erroris periculum efficacius arceatur, damnamus, et proscribimus omnes *Carbonariorum*, ut ajunt, Catechismos, et Libros, quibus a *Carbonariis* describuntur, quae in eorum conventibus geri solent; eorum etiam statuta codices, ac Libros omnes ad eorum defensionem exaratos, sive typis editos, sive manuscriptos, et quibuscumque Fidelibus sub eadem poena majoris excommunicationis eodem modo reservatae prohibemus memoratos libros, vel eorum aliquem legere, aut retinere, vel mandamus ut illos vel locorum ordinariis, vel aliis ad quos eosdem recipertinet, omnino tradant.

Volumus autem quod praesentium litterarum Nostrarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur quae ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, et interdictionis infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae millesimo octigentesimo vigesimo primo Idibus Septembris Pontificatus Nostri Anno XXII.

J. Card. Pro-Datarius. H. Card. Consalvi.

Disposte dalla Commissione de' Vescovi coll' intervento del Nunzio Apostolico, ed approvate da S. M. per la formazione de' titoli delle sagre ordinazioni nelle Chiese Ricettizie sufficientemente dotate.

Art. I. Tutte le Chiese Ricettizie di qualunque natura esse sieno per la loro fondazione, ancorchè annesse a Cattedrale, o Collegiate avranno un Clero numerato incardinato alle medesime, ed abitualmente inserviente alla cura.

Art. II. I Vescovi, nelle cui Diocesi sistono tali Ricettizie formeranno i loro piani per ciascuna di esse, fissando il numero dei Preti, che crederanno potervi incardinare, avendo riguardo al numero delle anime, alle circostanze Locali, ed alla massa delle rendite divisibili fra gl' incardinati a norma di ciò che si dirà in appresso, e si rimetteranno alle autorità superiori.

Art. III. Le porzioni di rendita certa, che saranno assegnate a ciascun Partecipante, potranno servire di titolo canonico pe' promovendi a' sacri ordini, quando sieno, (come debbono tutte essere) *conferite dal Vescovo*, *previo l'esame* a norma del Breve del Sommo Pontefice Impensa. Questa disposizione *non impedisce*, *che le partecipazioni suddette possano conferirsi a dei Sacerdoti ordinati*, o da ordinarsi *a titolo di sagro patrimonio.*

Art. IV. Nel fissare la rendita della massa Comune, per poterla insegnito ripartire in porzioni, si dedurranno i soli pesi intrinseci alla medesima, come fondiaria, censi, annualità passive, e manutenziona di stabili, e di chiesa, quando la chiesa non abbia una rendita, ma sia a carico della stessa massa.

Art. V. Non debbono computarsi fra i pesi della massa gli onorarj soliti a darsi a' sacristani, a' proccuratori, agli esattori, ed ogni altro peso, che sia solito ad affidarsi a persona Ecclesiastica, e del corpo: dovendo questi pesi portarsi per turno dagl' individui stessi Partecipanti, come già attualmente si pratica nella maggior parte di dette Chiese.

Art. VI. Per tale oggetto formeranno i Vescovi de' regolamenti sentiti i Cleri medesimi, affinchè tali impieghi sieno disimpegnati gradatamente, o a vicenda, cominciando sempre da' più giovani.

Art. VII. Non dovranno computarsi tra i pesi della massa da detrarsi le funzioni sacre di qualunque natura, come ufficiatura, messe cantate, e messe piane. La celebrazione di queste messe piane sarà ripartita con giusta proporzione sulle diverse porzioni, che si formeranno.

Art. VIII. Nel caso, che il numero delle messe piane gravanti la massa comune fosse esorbitante, s' implorerà dalla S. Sede la facoltà, perchè possano i Vescovi farne una competente riduzione, secondo le regole, che la medesima suol prescrivere.

Art. IX. Il Partecipante, che mancherà alle funzioni, a cui sia obbligato d' intervenire, e di prender parte, sarà soggetto alla puntatura, che si fisserà stabilmente dai Vescovi.

Art. X. Fissata che sia la vera rendita netta della massa comune colle regole di sopra accennate, si preleverà dalla medesima la congrua pel parroco (quando non l' abbia d' altronde) con quel medesimo tenore, e con quelle medesime proporzioni che sono fissate all' articolo VII. del Concordato, la quale congrua dovrà esser sempre maggiore di un terzo delle altre partecipazioni, salve le consuetudini antiche delle Chiese più favorevoli al parroco.

Art. XI. Prelevata la congrua del Parroco si formeranno del rimanente della massa comune tante porzioni, quanti sono i Ministri, che i Vescovi stimano necessarj a coadjuvare il Parroco nella cura, e nel servizio del culto.

Art. XII. Ove le rendite sieno sufficienti, sarà bene, che tali porzioni sieno distinte in maggiori, e minori. Si daranno le minori a quelli che sono posteriori nell' ingresso, e le *maggiori* A GIUDIZIO DEL VESCOVO *a coloro*, *che avranno il merito di un più lungo*, *e diligente servizio*, *e* SPECIALMENTE A' CONFESSORI, ed a quelli, che suppliranno immediatamente le veci del Parroco, e la porzione maggiore diverrà il suo titolo.

Art. XIII. Una tal divisione di porzioni in maggiori, e minori, non sarà necessaria ove i Cleri ricettizj sieno annessi alle Chiese Cattedrali, o collegiate perchè potranno in questi casi i meritevoli essere considerati nella collazione dei Mansionariati, e Canonicati, a' quali saranno conservate le rendite, di cui ora godono, ed accresciute a tenore dell' articolo V del Concordato.

Art. XIV. Dovranno sempre le partecipazioni considerarsi come importanti l' obbligo di residenza, che richieda l' attuale servizio, e però ottenendosi dal partecipante un qualche beneficio incompatibile, o nella stessa Chiesa, o altrove, vacherà ipso jure la partecipazione.

Art. XV. Il partecipante, che si allontanerà senza giusta causa, e senza permesso del Vescovo, dalla sua Chiesa per lo spazio di oltre tre mesi sarà punito in una maniera conforme alle disposizioni del Concilio di Trento.

Art. XVI. Il prodotto delle puntature, di cui si è parlato nell' articolo decimo, e che potranno risultare dalla colpevole assenza di alcuno si dividerà in fine dell'anno fra tutt' i partecipanti incluso il Parroco.

Art. XVII. Se vi saranno avanzi in fine dell'anno, o per aumento di rendita, o per vacanza di qualche partecipazione si divideranno similmente fra tutti i partecipanti escluso il Parroco, il quale giusta l'art. X. deve nella sua congrua avere una porzione notabilmente maggiore delle altre partecipazioni.

Art. XIX. Nelle associazioni dei Cadaveri il Parroco, quando intervenga, o per se stesso, o per mezzo d' altri, che faccia le di lui veci, prenderà sempre una porzione doppia.

Art. XX. Nelle Chiese, ove vi è l' obbligazione, o il lodevole costume dell' Ufficiatura Corale, faranno i Vescovi, che sia conservato, e procureranno anzi che sia generalizzato.

Approvato. Verona 18 Novembre 1822.

Firmato — FERDINANDO

Il Consigliere Ministro di Stato
Segretario di Stato degli affari Ecclesiastici
Firmato — Marchese Tommasi.

Ministero e Real Segreteria di stato degli affari ecclesiastici.
2. Ripartimento num. 993.

Illustrissimo e Reverendissimo Signore.

Essendosi da me rassegnato a S. M. il piano di Titoli delle sagre ordinazioni formato da U. S. Illustrissima e Reverendissima per le Chiese Ricettiaie sotto i titoli di S. Gio. Battista, di S. Severino, e di S. Nicola di cotesto Comune, e rimesso col rapporto de' 14 Ottobre del passato anno; la M. S. in veduta del parere dato su tale piano dalla Commissione de' Vescovi e consiglio ordinario di Stato de' 13 del corrente mese s' è degnata di approvarlo; ordinando a tal oggetto, che sulla massa comune della Chiesa di S. Gio. Battista da lei riportata nel detto piano per la rendita netta approssimativa di annui ducati 3500, si prelevino annui duc. trecento per congrua all'arciprete curato, e si stabiliscano venti titoli maggiori di annui duc. cento trenta l'uno, e dieci minori di annui ducati cinquanta per ciascuno; con doversi i duc. cento, che avanzano sulla detta massa, continuarsi a percepire dal prete mentecatto D. Luigi d'Ambrosio, vita sua durante, ed applicarsi dopo la sua morte alla formazione di due altri titoli minori nella stessa Chiesa di annui ducati cinquanta l'uno che sulla massa comune della Chiesa di S. Severino, la di cui rendita netta approssimativa ha Ella nel cennato piano fatta ammontare ad annui 1050, si assegni all' arciprete Curato la congrua di annui ducati cento cinquanta, e si fissino dieci titoli di ducati novanta l'uno: e che finalmente sulla massa comune della Chiesa di S. Nicola, la di cui rendita netta approssimativa s'è fatta da lei nello stesso piano ascendere anche ad annui duc. 1050 si stabilisca la congrua all' arciprete Curato parimente in annui duc. cento cinquanta, e si formino dieci Titoli egualmente di duc. novanta per ciascuno: dichiarando S. M., che siccome il divisato piano è comune a tutti i Preti di cotesta Città, così avranno essi da oggi in avanti una quadruplice gradazione, onde essere eccitati di fornirsi di cognizioni, ed impiegarsi con maggiore attenzione per lo bene delle anime; mentre i giovani, che mancano di Patrimonio per ascendere agli ordini sagri ne avranno i mezzi nelle partecipazioni minori di duc. cinquanta, e

partecipanti minori troveranno un'avanzamento nelle partecipazioni di ducati novanta, tutti poi potranno aspirare alle partecipazioni di duc. 130, e potranno pure essere promossi ai Canonicati della Cattedrale. Si è pure la M. S. degnata di approvare la proposizione fatta da U. S. Illustrissima, e Reverendissima, che i partecipanti minori della Chiesa di S. Giovanni Battista non debbano ingerirsi nell'amministrazione delle rendite, ma che debbano avere dal Procuratore in ogni tempo, ed in qualunque circostanza i netti annui ducati cinquanta, formando tale somma il loro patrimonio, che non soffre diminuzione. Circa poi i debiti de' Cleri di S.Severino, e di S. Nicola s'è S. M. benignata di approvare il di lei parere, che essendosi contratto legalmente quello di S. Severino, il Clero sia obbligato ad estinguerlo annualmente, e le annualità passive debbano convertirsi di mano in mano in porzioni minori di annui ducati cinquanta nella stessa Chiesa; ma che il debito di S. Nicola essendosi contratto per mera volontà degli attuali partecipanti, e senza il concorso dell'autorità competente, l'obbligazione di estinguerlo sia dei soli partecipanti attuali, senza poter gravare in niun modo per tale oggetto i partecipanti, che verranno ammessi in seguito della presente sovrana approvazione del Piano. Ha inoltre S. M. risoluto, che venendo in appresso ad aumentarsi le rendite delle due ricettizie di S. Severino, e S. Niccola per effetto della Legge de' 29 Gennaro 1817, riguardante le censuazioni, l'aumento si debba convertire in tanti titoli di ducati cinquanta l'uno nelle medesime Chiese. Finalmente ha la M. S. determinato, che tanto le presenti Sovrane disposizioni, quanto le altre contenute nelle Reali Istruzioni de' 28 Novembre 1822 debbano far parte degli statuti di ciascuna delle indicate tre Chiese, qualora si abbiano, e sieno muniti di Regio assenso: intendendosi derogato a tali statuti in quelli articoli, che si oppongono alle dette Sovrane disposizioni, e quante volte tutte le suddette tre Chiese, o qualunque di esse sieno prive de' cennati statuti, o vi manchi il detto Regio assenso; nel primo caso US. Illustrissima e Reverendissima di concerto co' rispettivi Cleri, debba formare i nuovi statuti, e rimetterli in questo Ministero, e Real Segreteria di Stato degl'affari Ecclesiastici, di mio carico, per essere muniti dell'assenso Regio, e nel secondo caso debba mandare nell'istesso ministero gli antichi statuti, per impartircisi il detto Regio Assenso. Nel Real Nome le partecipo questa Sovrana risoluzione per intelligenza sua, e de' Cleri delle mentovate Chiese, e pel corrispondente adempimento.

Napoli 24 Luglio 1824.

IL MARCHESE TOMMASI

Monsignor Vescovo di S. Severo.

LAPIDES TEANI APULI.

1\. C. ARRIV. . . . .

EX TESTAM

ETS

ARRIA C. F
BASSA
TO ARRIAE
. . . FECIT HS ꟾↃↃ A
METTIENI

Duae partes eiusdem lapidis eiusdem naturae et characteris; quarum una extabat ad Portam occidentalem oppidi S. Pauli, alia nuper detecta exscriptae diligenter a nobis die 30 Octobris 1818

2\. D. M.
EVPLIAE: M
VLP APOLAVS ✝
SER DIONYSIVS
CON ET THALIVS
MATER EIVS
V A. XXXIIII

3\. MAIA. 7. L.
OPTATA
SIBI ET NVMPE
IN FR. P

Ibid. olim in domo Math. de Ambrosio, exscriptus accurate die 11 Maii 1819.

4 D. M.
OPPIO MA
MIO TERTIO
QVI V. ANN.
XX. M. VI.

Exscriptus die 30 Decemb. 1819 apud Ecclesiam S. Augustini ad orientem.

5\. L. PACIDEIO L. T. L. NEP. L. PRON
TER. CARPIANO. SPL. EQ. R
MVNITO SACERD. LANVN
PAT. MVN. CAIAT. ITEM COL
ALLIFANOR. PAT. ET CVRAT. R. P.
ATINAT. ITEM. SAEPINATIVM
PAT. TEANENSIVM APVLVM
DOMITIA. GALATIA. VXOR. ET
PACIDEII. MARCIA C. F ET CAR
PIANI. SEN. IVN. FILI

* Publicatus a Danielio in tertia editione sui operis, *Le Forche Caudine*, repertus Limatulae in Campania.

6\. D. M. S.
REVIDIAE TITL
AE QVAE VIXIT
AS XIII FECIT
SESTLIA PROTILA
FILIAE B M F

7\. L. SESTIVS
L. L. SALVIVS
SITVS

8\. L. SESTIVS
L. L. SALVIVS
RVFILLA
COLIBERTA (*sic*)
POSVIT

9\. C. TITIO. 7. L
COMO
FILIAE. 7. L. HILARAE
IN FR. P. XII. IN AGR. P. X

In Aedibus Episcopalibus S. Pauli exscripti hi tres die 10 Iul. 1824 et saepius consulti collatique.

10\. FL. VRANIO. V P REC
PROV. VINDICI LEGV . . .
AC MODERATORI
IVSTITIAE
ORDO SPLENDIDISSIMV. . .
CIVITATIS THEANENSI
VNA CVM POPVLARIB. . . .
SVIS DIGNO PATRO
NO POSVERVNT

Apud domum Fr. Xaverii Apone Lasinae eruderatus vi Lacus, a Nobisque exscriptus mense Maii 1818 atque in lucem editus in nostra Epistola Pastorali pro Translatione Nostra ab Episcopali Sede Marsorum ad Ecclesiam S. Severi p. 4.

11\. SALVE VIRGO MATER PIA DOMI
NVM PARITVRA MARIA
TEMPORE TORCISII FVIT ARCHI
PRESBYTERATVS
HOC OPVS EST CVIVS STVDIO
PARIES REPARATVS
SINGVLA TORGISIVS NIMIO VA
RIATA DECORE
FECIT INEXIMIAE XRI GENE
TRICIS HONORE
QVA FVNDENTE PRECES PATRIS GENERATVS AB ORB

DIGNA RECOMPENSET SOLITO SIBI
PRAEMIA MORE

Ad murum horti PP. Capuccinorum Turris Maioris ante Ecclesiae atrium ad angulum sinistrum intrantis a Nobis accuratissime lectus et exscriptus mense Iun. an. 1825 et saepius. Licet incertae aetatis ac sequioris latinitatis lapis ex immagine quam in fronte praefert, et ex nomine quod in corpore profert *S. Mariae Dominum pariturae*, seu Annuntiatae ab Angelo memoriam nobis perhibet Archipresbyteralis antiquae Ecclesiae sub titulo *S. Mariae Annunciatae*. Haec vero pro tutoanti quior est nedum praesenti Ecclesiae *S. Mariae*, quae ut notavimus sub Episcopo Malaspina in alteram Ecclesiam Archipresbyteralem erecta est, nec ullum Torgisium in Archipresbyteros computat, neque *Annuntiatae*, ter sed *Nativitatis* nomen habet; sed ipsa Archipresbyterali vetusta Ecclesia S. Nicolai, in qua nullum extat Altare aut memoria *S. Mariae Annuntiatae*: ipsique Leonini versus VII vel VIII Saeculi mores exhibent. Haec fortassis Ecclesia S. Mariae est de qua conquestum legimus Paschalem Papam II in Concilio Beneventano anno 1113 *Accusant Benedictum* TERRAE MAIORIS *abatem*, *quod invasisset Ecclesiam* SANCTAE MARIAE, *quae juris nostri antea fuerat*. Apud Labbè edit. Mansi T. XXI. col. 85. et ex *Chronic. Casinensi* Lib. IV.

M O N I T U M.

Dum summam operi manum imponere festinabamus, opportunissime advenit recentissima Sanctissimi D. N. Leonis PP. XII Constitutio Quo graviora, *sub datum Romae III. Idus Martii MDCCCXXVI, qua Clementis XII, Benedicti XIV. Piique VII proscriptiones in quaecumque secreta conventicula, sectas, sectariosque, quomodocumque nuncupentur, innovantur, novoque robore et auctoritate firmantur. Hanc invictissimi vereque Maximi Pontificis Constitutionem, quam exequtioni tradendam esse, sub die XVIII. mensis Aprilis proxime elapsi e Regia auctoritate sancitum est, heic pro hujusce Synodicae Appendicis coronide exhibendam duximus, ut lectoribus rem apprime gratam, et utilem praestaremus.*

LEO EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Quo graviora mala Christi Dei, et Servatoris Nostri Gregi imminent, eo majorem sollicitudinem in iis arcendis adhibere debent Romani Pontifices, quibus in Beato Petro Apostolorum Principe illius pascendi, et regendi potestas, et cura commissa est. Pertinet enim ad eos, quippe qui in suprema Ecclesiae specula positi sint, longius prospicere insidias, quas Christiani Nominis hostes moliuntur ad Christi Ecclesiam (quod tamen nunquam assequentur) exterminandam, easque tum Fidelibus indicare, et aperire, ut ab iis caveant, tum auctoritate sua avertere, et amoliri. Gravissimum hoc munus sibi impositum intelligentes Romani Pontifices Praedecessores Nostri vigilias Boni Pastoris perpetuo vigilarunt, et adhortationibus, doctrinis, decretis, ipsaque anima data pro ovibus suis, sectas extremum Ecclesiae exitium minitantes prohibendas, et penitus delendas curarunt. Nec ex Annalium Ecclesiasticorum vetustate tantum erui potest Pontificiae hujus sollicitudinis memoria. Quae Nostra, et Patrum Nostrorum aetate gesta sunt a Romanis Pontificibus, ut clandestinis hominum adversus Christum malignantium sectis se se objicerent, id perspicue evincunt. Ubi enim Clemens XII. Praedecessor Noster vidit in dies invalescere, novamque firmitatem acquirere sectam *de' Liberi Muratori*, sive *des Francs Maçons*, sive aliter appellatam, quam non modo suspectam, verum etiam omnino Catholicae Ecclesiae inimicam multis argumentis certo noverat, eam damnavit luculenta Constitutione, cui initium *In Eminenti*, edita Quarto Kalendas Majas Anno 1738, cujus tenor is est, qui subjicitur.

Clemens Episcopus Servus Servorum Dei-Universis Christifidelibus salutem et Apostolicam Benedictionem - In Eminenti Apostolatus specula, meritis licet imparibus, divina disponente clementia, constituti juxta creditum Nobis Pastoralis providentiae debitum jugi (quantum ex alto conceditur) sollicitudinis studio iis intendimus, per quae erroribus vitiisque aditu intercluso, Orthodoxae Religionis potissimum servetur integritas, atque ab Universo Catholico Orbe difficillimis hisce temporibus perturbationum pericula propellantur.

Sane, vel ipso rumore publico nunciante, Nobis innotuit longe lateque progredi, atque in dies invalescere nonnullas Societates, Coetus, Conventus, Collectiones, Aggregationes, seu Conventicula vulgo de' *Liberi Muratori*, seu *Francs Maçons*, aut alia quavis nomenclatura pro idiomatum varietate nuncupata, in quibus cujuscumque Religionis et Sectae homines affectata quadam contenti honestatis naturalis specie, arcto aeque ac impervio foedere secundum leges, et statuta sibi condita invicem consociantur, quaeque simul clam operantur tum districto jurejurando ad Sacra Biblia interposito, tum gravium poenarum exaggeratione inviolabili silentio obtegere adstringuntur.

Verum cum ea sit sceleris natura, ut se ipsum prodat, et clamorem edat sui indicem, hinc Societates, seu Conventicula praedicta vehementem adeo fidelium mentibus suspicionem ingesserunt, ut iisdem Aggregationibus nomen dare apud prudentes et probos idem omnino sit, ac pravitatis et perversionis notam incurrere; nisi enim male agerent, tanto nequaquam odio lucem haberent. Qui quidem rumor eo usque percrebuit, ut plurimis Regionibus memoratae Societates per saeculi Potestates tanquam Regnorum securitati adversantes proscriptae, ac provide eliminatae jampridem extiterint.

Nos itaque animo volventes gravissima damna, quae ut plurimum ex hujusmodi Societatibus, seu Conventiculis, nedum temporalis Reipublicae tranquillitati, verum etiam spirituali Animarum saluti inferuntur; atque idcirco tum Civilibus tum Canonicis minime cohaerere sanctionibus, cum divino eloquio doceamur diu noctuque more servi fidelis, et prudentis Dominicae Familiae praepositi, vigilandum esse, ne hujusmodi Hominum genus veluti fures domum perfodiant, atque instar vulpium vineam demoliri nitantur, ne videlicet simplicium corda pervertant, atque innoxios sagittent in occultis; ad latissimam, quae iniquitatibus impune patrandis inde aperiri posset, viam obstruendam, aliisque de justis ac rationabilibus causis Nobis notis easdem Societates, Coetus, Conventus, Collectiones, Aggregationes, seu Conventicula *de' Liberi Muratori*, seu *Francs Maçons*, aut alio quocumque nomine appellata, de nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, ac etiam Motu proprio, et ex Apostolicae potestatis plenitudine damnanda, et prohibenda esse statuimus, et decrevimus, prout praesenti Nostra perpetuo valitura Constitutione damnamus et prohibemus.

Quocirca omnibus et singulis Christifidelibus cujuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, et praeeminentiae sive Laicis, sive Clericis, tam Saecularibus, quam Regularibus etiam specifica et individua mentione et expressione dignis, districte, et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne quis sub quovis praetextu, aut quaesito colore audeat vel praesumat praedictas Societates *de'Liberi Muratori*, seu *Francs Maçons*, aut alias nuncupatas inire, vel propagare, confovere, ac in suis aedibus, vel domibus, seu alibi receptare atque occultare, iis adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem seu commoditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, sive alias consilium, auxilium vel favorem palam, aut in occulto directe vel indirecte per se, vel per alios quoquomodo praestare, nec non alios hortari, inducere, provocare, aut suadere, ut hujusmodi Societatibus adscribantur, annumerentur, seu intersint, vel ipsas quomodolibet juvent ac foveant, sed omnino ab iisdem Societatibus, Coetibus, Conventibus, Collectionibus, Aggregationibus seu Conventiculis prorsus abstinere se debeat sub poena Excommunicationis per omnes ut supra, contrafacientes ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per Nos seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Volumus insuper, et mandamus, ut tam Episcopi et Praelati, Superiores, aliique Locorum Ordinarii, quam haereticae pravitatis ubique Locorum deputati Inquisitores adversus transgressores cujuscumque sint gradus, status, conditionis, ordinis, dignitatis, vel praeeminentiae, procedant et inquirant, eosque tanquam de haeresi vehementer suspectos condignis poenis puniant atque coerceant; iis enim, et eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi, et inquirendi, ac condignis poenis coercendi et puniendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, liberam facultatem tribuimus et impertimur.

Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in Dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus Literis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, et interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae, Millesimo Septingentesimo Trigesimo Octavo, Quarto Kalendas Maji, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

Haec tamen recolendae Memoriae Benedicto XIV. itidem Praedecessori Nostro satis non fuerunt. Percrebuerat enim sermonibus permultorum, latam in Clementis dudum mortui literis Excommunicationis poenam jam evanuisse, quod Benedictus eas Literas diserte non confirmasset. Erat profecto absurdum contendere superiorum Pontificum leges obsolescere, nisi a Successoribus expresse approbentur, et praeterea manifeste patebat a Benedicto saepius Clementis Constitutionem ratam habitam fuisse. Attamen hanc etiam cavillationem de Sectariorum manibus extorquendam judicavit Benedictus edita nova Constitutione, cujus initium — *Providas* — XV. Kalendas Aprilis Anno Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo primo, qua Clementis Constitutionem totidem verbis relatam in forma, ut ajunt, specifica, quae omnium amplissima, et efficacissima habetur, confirmavit. Talis vero est Benedicti Constitutio.

Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei — Ad perpetuam Rei memoriam — Providas Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum leges, atque sanctiones non solum eas, quarum vigorem vel temporum lapsu vel hominum neglectu labefactari aut extingui posse veremur, sed eas etiam quae recentem vim, plenamque obtinent robur, justis gravibusque id exigentibus causis, novo Auctoritatis Nostrae munimine roborandas confirmandasque censemus.

Sane felicis recordationis Praedecessor Noster Clemens PP. XII. per suas Apostolicas Litteras Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Septingentesimo Trigesimo Octavo quarto Kalendas Majas Pontificatus sui Anno Octavo datas, et Universis Christifidelibus inscriptas, quarum initium est *In Eminenti* nonnullas Societates, Coetus, Conventus, Collectiones, Conventicula, seu Aggregationes vulgo *de' Liberi Muratori*, seu *des Francs-Maçons*, vel aliter nuncupatas in quibusdam Regionibus tunc late diffusas, atque in dies invalescentes perpetuo damnavit atque prohibuit, praecipiens omnibus, et singulis Christifidelibus sub poena Excommunicationis ipso facto absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per alium, quam per Romanum Pontificem pro tempore existentem, excepto mortis articulo, absolvi posset, nequis auderet vel praesumeret hujusmodi Societates inire, vel propagare, aut confovere, receptare, occultare, iisque adscribi, aggregari, aut interesse, aut alias, prout in eisdem Literis latius et uberius continetur, quarum tenor talis est videlicet etc. etc. etc.

Cum autem, sicut accepimus, aliqui fuerint, qui asserere, ac vulgo jactare non dubitaverint dictam Excommunicationis poenam a Praedecessore Nostro, ut praefertur, impositam non amplius afficere, propterea quod ipsa praeinserta Constitutio a Nobis confirmata non fuerit, quasi vero pro Apostolicarum Constitutionum a Praedecessore editarum subsistentia Pontificis Successoris expressa confirmatio requiratur.

Cumque etiam a nonnullis piis, ac Deum timentibus viris Nobis insinuatum fuerit ad omnia calumniantium subterfugia tollenda, declarandamque animi Nostri cum ejusdem Praedecessoris mente ac voluntate uniformitatem magnopere expediens fore, ut ejusdem Praedecessoris Constitutioni novum confirmationis Nostrae suffragium adjungeremus.

Nos licet hujusque dum pluribus Christifidelibus de violatis ejusdem Constitutionis legibus vere poenitentibus atque dolentibus, seque a damnatis hujusmodi Societatibus, seu Conventiculis omnino recessuros, et numquam in posterum ad illas et illa redituros ex animo profitentibus absolutionem ab incursa Excommunicatione tum antea saepe, tum maxime clapso Jubilaei Anno benigne concessimus, seu dum facultatem Poenitentiariis a Nobis deputatis communicavimus, ut hujusmodi poenitentibus, qui ab ipsos confugerent, eamdem absolutionem Nostro nomine, et auctoritate impertiri valerent, dum etiam sollicito vigilantiae studio instare non praetermisimus, ut a competentibus Judicibus et Tribunalibus adversus ejusdem Constitutionis violatores pro delicti mensura procederetur, quod et ab eis reipsa saepe praestitum fuit, non quidem probabilia duntaxat, sed plane evidentia et indubitata argumenta dederimus, ex quibus animi Nostri sensus, ac firma ut deliberata voluntas quoad censurae per dictum Clementem Praedecessorem, ut praefertur, impositae vigorem et subsistentiam satis aperte inferri debuerant; siquae autem contraria de Nobis opinio circumferretur, Nos eam secure contemnere possemus, causamque Nostram justo Dei Omnipotentis judicio relinquere, ea verba usurpantes, quae olim inter sacras Actiones recitata fuisse constat: *Praesta, quaesumus Domine, ut mentium reproborum non curemus obloquium, sed eadem pravitate calcata exoramus, ut nec terreri nos lacerationibus patiaris injustis, nec captiosis adulationibus implicari, sed potius amare, quod praecipis*: ut habet antiquum Missale, quod Sancto Gelasio Praedecessori Nostro tribuitur, et a Venerabili

Servo Dei Josepho Maria Cardinali Thomasio editum fuit in Missa, quae inscribitur *contra obloquentes*.

Ne tamen aliquid per Nos improvide praetermissum dici valeret, quo facile possemus mendacibus calumniis fomentum adimere, atque os obstruere, audito prius nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, eamdem Praedecessoris Nostri Constitutionem praesentibus, ut supra, de verbo ad verbum insertam in forma specifica, quae omnium amplissima et efficacissima habetur, confirmare decrevimus, prout eam ex certa scientia, et Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudine earumdem praesentium Literarum tenore in omnibus, et per omnia, perinde ac si Nostris Motu proprio, Auctoritate, ac Nomine primum editae fuissent, confirmamus roboramus et innovamus, ac perpetuam vim et efficaciam habere volumus et decernimus.

Porro inter gravissimas praefatae prohibitionis et damnationis caussas in praeinserta Constitutione enunciatas una est, quod in hujusmodi Societatibus et Conventiculis cujuscumque Religionis, ac Sectae homines invicem consociantur, qua ex re satis patet, quam magna pernicies Catholicae Religionis puritati inferri valeat. Altera est arctum et impervium secreti foedus, quo occultantur ea, quae in hujusmodi Conventiculis fiunt, quibus proinde ea sententia merito aptari potest, quam Caecilius Natalis apud Minucium Felicem in caussa nimirum diversa protulit: *Honesta semper publico gaudent, scelera secreta sunt.* Tertia est jusjurandum, quo se hujusmodi secreto inviolabiliter servando adstringunt, quasi liceat alicui cujuslibet promissionis aut juramenti obtentu se tueri, quominus a legitima potestate interrogatus omnia fateri teneatur, quaecumque exquiruntur ad dignoscendum, an aliquid in hujusmodi Conventibus fiat quod sit contra Religionis, aut Reipublicae statum, et leges. Quarta est, quod hujusmodi Societates non minus civilibus, quam canonicis sanctionibus adversari dignoscuntur, quum scilicet jure civili omnia Collegia, et Sodalitia praeter publicam auctoritatem consociata prohibeantur, ut videre est in Pandectarum libro XLVII. Tit. 22 *de Collegiis, ac Corporibus illicitis*, et in celebri Epistola C. Plinii Caecilii Secundi, quae est XCVII. Lib. X. in qua ait edicto suo secundum Imperatoris mandata vetitum fuisse, ne Hetaeriae essent, idest ne Societates et Conventus sine Principis auctoritate iniri et haberi possent. Quinta est, quod jam in pluribus Regionibus memoratae Societates, et Aggregationes Saecularium Principum legibus proscriptae, atque eliminatae fuerunt. Ultima demum, quod apud prudentes et probos viros eaedem Societates et Aggregationes male audirent, eorumque judicio quicumque eisdem nomina darent, pravitatis et perversionis notam incurrerent.

Denique idem Praedecessor in praeinserta Constitutione Episcopos, et Superiores Praelatos, aliosque Locorum Ordinarios excitat, ut pro illius exequutione, si opus fuerit, brachii saecularis auxilium invocare non praetermittant.

Quae omnia et singula non solum a Nobis approbantur, et confirmantur, eisdemque Ecclesiasticis Superioribus respective commendantur et injunguntur, verum etiam Nos ipsi pro Apostolicae sollicitudinis Officio praesentibus Nostris Literis Catholicorum Principum, omniumque Saecularium Potestatum opem et auxilium quoad praemissorum effectum invocamus, et enixo studio requirimus, quum ipsi supremi Principes et Potestates electi sint a Deo Defensores fidei, Ecclesiaeque Protectores, ideoque eorum munus sit idoneis quibusque rationibus efficere, ut Apostolicis Constitutionibus debitum obsequium, et omnimoda observantia praestetur, quod iis in memoriam revocarunt Trident. Synodi Patres *Sess.* 25, Cap. 20, multoque antea egregie declaraverat Imperator Carolus Magnus suorum Capitularium *Tit. I. Cap.* 2., ubi post demandatam omnibus sibi subditis Ecclesiasticarum sanctionum observantiam haec addidit: *Nam nullo pacto agnoscere possumus qualiter Nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles, et suis Sacerdotibus inobedientes apparuerint.* Quapropter cunctis Ditionum suarum Praesidibus, et Ministris injungens, ut omnes, et singulos ad debitam obedientiam Ecclesiae legibus exhibendam omnino compellerent, gravissimas quoque poenas adversus eos indixit, qui hoc praestare negligerent, subdens inter alia: *Qui autem in his (quod absit) aut negligentes eisque inobedientes fuerint inventi, sciant se nec in Nostro Imperio honores retinere, licet etiam filii Nostri fuerint, nec in Palatio locum, neque Nobiscum, aut cum Nostris Societatem aut Communitatem ullam habere, sed magis sub districtione et ariditate poenas luent.*

Volumus autem, ut earumdem praesentium Transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo Personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis, innovationis, approbationis, commissionis, invocationis, requisitionis, decreti et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quinquagesimo primo decimo quinto kalendas Aprilis Pontificatus nostri anno undecimo. »

Utinam qui rerum tunc potiebantur, tanti haec decreta fecissent, quanti tum Ecclesiae, tum Reipublicae salus postulabat. Utinam sibi persuasissent in Romanis Pontificibus Beati Petri Successoribus, non modo Ecclesiae universae, Pastores et Magistros, sed etiam strenuos eorum dignitatis defensores et diligentissimos periculorum quae imminent Indices suspicere se debere. Utinam potestate illa sua usi essent ad sectas convellendas, quarum pestifera consilia iis a Sede Apostolica fuerant patefacta. Jam ab eo tempore rem plane confecissent. At cum, sive sectariorum fraude res suas callide occultantium, sive imprudentibus nonnullorum suasionibus, causam hanc negligendam vel saltem levissime tractandam judicaverint, ex veteribus illis Massonicis sectis, quae nunquam friguerunt, aliae complures exortae sunt multo illis deteriores et audaciores. Has omnes veluti sinu suo complecti visa est Carbonariorum secta, quae ceterarum princeps in Italia, aliisque nonnullis in regionibus habebatur, et in varios veluti ramos divisa, nomine tenus diversos acerrime Catholicam Religionem, et Supremam quamque civilem legitimam potestatem impugnandum suscepit. Qua calamitate ut Italiam, aliasque regiones, imo et ipsam Pontificiam ditionem (in quam, impedito tantisper Pontificio Regimine, illa irrepserat una cum exteris hominibus ejus invasoribus) liberaret felicis recordationis Pius Septimus, cui Nos suffecti sumus, Carbonariorum sectam, quocumque tandem nomine pro locorum, idiomatum, et hominum diversitate appellaretur, gravissimis poenis damnavit edita Idibus Septembribus anno millesimo octingentesimo vigesimo primo Constitutione, cujus initium -- *Ecclesiam a Iesu Christo* -- Hujus etiam exemplum Nostris hisce literis inserendum esse censuimus, quod est ejusmodi. *Vid. ad num.* 123.

Non multo post editam hanc a Pio VII. Constitutionem ad supremam Beati Petri Cathedram nullis Nostris meritis evecti Nos fuimus; et continuo omnem Nostram operam convertimus ad detegendum, quis esset clandestinarum sectarum status, quis numerus, quae potentia. Haec inquirentes facile intelleximus crevisse illarum insolentiam, praecipue ob earum multitudinem novis sectis auctam. Ex quibus ea praesertim memoranda est, quae = *Universitaria* = dicitur, quod sedem et domicilium in pluribus studiorum Universitatibus habeat, in quibus Juvenes a nonnullis Magistris, qui eos non docere, sed pervertere student, ejusdem mysteriis, quae iniquitatis mysteria verissime appellari debent, initiantur, et ad omne scelus informantur.

Inde vero existit, quod tanto etiam post tempore, quo primum perduellionis faces in Europa a sectis clandestinis per consectaneos suos inflammatae, et elatae sunt, et post reportatas a potentissimis Europae Principibus praeclarissimas victorias, quibus illae comprimendae sperabantur, nondum tamen nefarii earum conatus finem habuerunt. In illis enim ipsis regionibus, in quibus pristinae tempestates conquievisse videntur, qui metus est novarum turbarum, et seditionum, quas illae sectae perpetuo moliuntur? Quae impiarum formido sicarum, quas in eorum corporibus clam defigunt, quos ad mortem designarunt? Quot, et quam gravia non raro decernere vel inviti coguntur, qui iisdem cum potestate praesunt, ut publicam tranquillitatem tueantur?

Inde etiam existunt acerbissimae calamitates, quibus Ecclesia fere ubique vexatur, et quas sine dolore, imo sine moerore commemorare non possumus. Impugnantur impudentissime sanctissima ejus dogmata, et praecepta; ejus dignitas extenuatur; et pax illa, et felicitas, qua suo quodam jure frui deberet, non perturbatur modo, sed omnino evertitur.

Nec putandum est, omnia haec mala, aliaque, quae praetermissa a Nobis sunt, clandestinis his sectis perperam, et per calumniam adscribi. Libri, quos de Religione, et Republica scribere non dubitarunt, qui his sectis nomen dederunt, quibus dominationem spernunt, majestatem blasphemant, Christum autem vel scandalum, vel stultitiam dictitant; imo non raro

nullum esse Deum, et hominis animam una cum corpore interire docent: Codices et Statuta, quibus sua consilia, et instituta explicant, aperte declarant cuncta, quae jam memoravimus, et quae ad legitimos Principatus labefactandos, et Ecclesiam funditus delendam spectant, ab iis proficisci. Atque hoc veluti certum, exploratumque habendum est, has sectas licet nomine diversas, nefario tamen impurissimorum consiliorum vinculo esse inter se conjunctas.

Quae cum ita sint, Nos muneris Nostri esse censemus iterum clandestinas has sectas condemnare, atque ita quidem, ut nulla ex iis jactare possit se Apostolica sententia nostra non comprehendi, atque hoc praetextu homines incautos et minus acutos in errorem inducat. Itaque de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, et etiam Motu proprio, et certa scientia, ac matura deliberatione Nostris Societates occultas omnes, tam quae nunc sunt tam quae fortasse deinceps erumpent, et quae ea sibi adversus Ecclesiam, et Supremas civiles potestates proponunt, quae superius commemoravimus, quocumque tandem nomine appellentur, Nos perpetuo prohibemus sub iisdem poenis, quae continentur Praedecessorum Nostrorum literis in hac Nostra Constitutione jam allatis, quas expresse confirmamus.

Quocirca omnibus, et singulis Christifidelibus cujuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis, ac praeeminentiae sive laicis, sive clericis tam saecularibus, quam regularibus etiam specifica, et individua mentione, et expressione dignis districte, et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne quis sub quovis praetextu, aut quaesito colore audeat, vel praesumat praedictas Societates, quocumque nomine appellentur, inire, vel propagare, confovere, ac in suis aedibus, seu domibus, vel alibi receptare, atque occultare, illis, et cuicumque earumdem gradui adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem, seu commoditatem facere, ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, seu alias consilium, auxilium, vel favorem palam, aut in occulto, directe, aut indirecte, per se, vel per alios quoquomodo praestare, nec non alios hortari, inducere, provocare, ac suadere, ut hujusmodi Societatibus, aut cuicumque earumdem gradui adscribantur, annumerentur, aut intersint, vel ipsas quomodolibet juvent, ac foveant, sed omnino ab iisdem Societatibus, earum Coetibus, Conventibus, Aggregationibus, seu Conventiculis prorsus abstinere se debeat sub poena excommunicationis per omnes, ut supra, contrafacientes eo ipso absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per quemquam, nisi per Nos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Praecipimus praeterea omnibus sub eadem excommunicationis poena Nobis, et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris reservata, ut teneantur denunciare Episcopis, vel ceteris, ad quos spectat, eos omnes, quos noverint his Societatibus nomen dedisse, vel aliquo ex iis criminibus, quae modo commemorata sunt, se inquinasse.

Praecipue vero jusjurandum illud impium plane, ac scelestum, quo se obstringunt, qui in has sectas cooptantur, nemini patefacturos, quae ad illas sectas pertinent, et morte mulctaturos eos omnes sodales, qui ea Superioribus sive Ecclesiasticis, sive Laicis patefaciunt, omnino damnamus, et plane irritum declaramus. Quid enim? Nonne nefas est jusjurandum, quod in *justitia* pronunciandum est, veluti vinculum habere, quo quis se ad injustam caedem obliget, et ad eorum contemnendam auctoritatem, qui cum vel Ecclesiam, vel legitimam civilem Societatem moderentur, jus habent ea cognoscendi, quibus illarum salus continetur? Nonne iniquissimum, et indignissimum est Deum ipsum veluti scelerum testem et fidejussorem appellare? Rectissime Patres Concilii Lateranensis III inquiunt can. 3. *Non enim dicenda sunt juramenta, sed potius perjuria, quae contra utilitatem Ecclesiasticam, et Sanctissimorum Patrum veniunt instituta.* Et intoleranda est eorum ex his hominibus impudentia, sive amentia, qui cum non modo in corde suo, sed etiam palam, ed in publicis scriptis dicant *non est Deus*, audeant tamen jusjurandum exigere ab iis omnibus, quos suas in sectas deligunt.

Haec a Nobis constituta sunt ad furiosas, et scelestas has omnes sectas comprimendas, et damnandas. Nunc vero vestram, Ven. Fratres Catholici Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, et Episcopi, operam non postulamus modo, sed etiam flagitamus. Attendite vobis, et Universo Gregi, in quo Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Invadent quidem lupi rapaces in Vos, non parcentes Gregi: sed nolite metuere, nec facite animam vestram pretiosiorem, quam Vos. Illud tenete, a Vobis maxima ex parte pendere hominum Vobis commissorum in Religione, et recte factis constantiam. Quamvis enim iis vivamus diebus, *qui mali* -

sunt, eoque tempore, quo plures *non sustinent sanam doctrinam*, perdurat tamen permultorum Fidelium in Pastores suos observantia, quos jure suspiciunt veluti Christi ministros, et dispensatores mysteriorum ejus. Utimini igitur in Ovium vestrarum commodum hac auctoritate, quam in earum animis immortali Dei beneficio retinetis. Cognoscant per Vos Sectariorum dolos, et quanta diligentia eos, eorumque consuetudinem cavere debeant. Horreant, Vobis auctoribus, et magistris, pravam eorum doctrinam, qui sanctissima Religionis nostrae mysteria, et purissima Christi praecepta irrident, omnemque legitimam potestatem impugnant. Ac ut Vos verbis alloquamur Praedecessoris Nostri Clementis XIII. in sua Epistola encyclica ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos universos Ecclesiae Catholicae diei 14. Septembris anni 1758. » Repleti simus, obsecro, fortitudine Spiritus Domini, judicio, et virtute, ne tamquam canes muti non valentes latrare Greges Nostros patiamur fieri in rapinam, et Oves Nostras in devorationem omnium bestiarum agri. Neque Nos quidquam deterreat, quominus pro Dei gloria, et salute animarum ad omnes dimicationes Nosmetipsos objiciamus. Recogitemus eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem. Quod si nequissimorum timeamus audaciam, actum est de Episcopatus vigore, et de Ecclesiae gubernandae sublimi ac divina potestate: nec Christiani ultra aut durare, aut esse jam possumus, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas aut insidias pertimescamus «.

Summo etiam studio vestrum flagitamus praesidium, Carissimi in Christo Filii nostri Catholici Principes, quos singulari et prorsus paterno amore diligimus. Revocamus propterea Vobis in memoriam verba, quibus Leo Magnus, cujus in dignitate Successores, et nominis licet indigni Haeredes sumus, ad Leonem Imperatorem scribens usus est: *Debes incunctanter advertere, Regiam potestatem Tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, quae sunt bona statuta defendas, et veram pacem his, quae sunt turbata, restituas.* Quamquam in eo discrimine res hoc tempore versetur, ut non modo ad Catholicam Religionem defendendam, sed ad tuendam etiam vestram, et populorum vestro Imperio subjectorum incolumitatem, sectae illae a Vobis coercendae sint. Religionis enim causa hoc praesertim tempore cum Societatis salute ita conjuncta est, ut nullo quidem modo altera ab altera dividi possit. Nam, qui sectas illas sequuntur, non minus Religionis, quam vestrae potestatis sunt hostes. Utramque aggrediuntur, utramque penitus labefactare moliuntur. Neque certe paterentur, si possent, aut Religionem, aut Regiam ullam potestatem superesse.

Ea tanta est hominum callidissimorum astutia, ut cum maxime videntur vestrae potestatis amplificationi studere, tum ejus eversionem praecipue spectent. Docent illi quidem permulta, ut suadeant Nostram, et Episcoporum potestatem ab iis, qui rerum potiuntur, imminuendam et debilitandam esse, et ad eos plura transferenda jura, tum ex iis, quae propria sunt Apostolicae hujus Cathedrae, et *Ecclesiae principalis*, tum ex iis, quae ad Episcopos pertinent, qui in Nostrae sollicitudinis partem sunt vocati. Verum haec illi non modo ex teterrimo, quo inflammantur in Religionem odio, sed eo etiam consilio docent, quod sperent fore ut gentes quae Vestro Imperio subjiciuntur, si forte perspiciant everti terminos, quos de rebus sacris Christus, et Ecclesia ab eo instituta constituerunt, facile hoc exemplo adducantur ad politici etiam Regiminis formam immutandam, et destruendam.

Vos etiam omnes, o Dilecti Filii, qui Catholicam Religionem profitemini, peculiari oratione et hortationibus Nostris respicimus. Homines, qui ponunt lucem tenebras, et tenebras lucem, omnino evitate. Quae enim veri nominis utilitas exoriri Vobis poterit ex conjunctione cum hominibus, qui nullam Dei, nullam sublimiorum quarumque potestatum rationem habendam putant, qui per insidias et clancularios Conventus bellum illis afferre conantur, quique etsi in foro, et ubique clament se publici Ecclesiae, et Societatis boni amantissimos esse, tamen universis suis gestis jam declararunt omnia perturbare, omnia evertere velle. Sunt ii quidem iis hominibus similes, quibus nec hospitium dandum, nec dicendum Ave jubet Joannes in secunda sua Epistola *Ver.* 10., et quos primogenitos Diaboli appellare Majores nostri non dubitarunt. Cavete igitur ab eorum blanditiis, et mellitis sermonibus, quibus Vobis suadebunt, ut nomen illis sectis detis, quibus ipsi adscripti sunt. Pro certo habete neminem earum participem sectarum esse posse, quin gravissimi flagitii reus sit, eorumque verba ab auribus vestris repellite, qui, ut vestrae in gradus suarum sectarum inferiores cooptationi assentiamini, vehementer affirmant, nihil in gradibus illis admitti, quod rationi, nihil quod Religioni adversetur, imo nihil vel

praedicari, vel perfici, quod non sanctum, quod non rectum, quod non incontaminatum sit. Etenim jusjurandum illud nefarium, quod jam memoratum est, quodque in illa etiam inferiori cooptatione jurari debet, satis per se est, ut intelligatis nefas etiam esse levioribus illis gradibus adscribi, atque in iis versari. Deinde quamvis quae graviora, et scelestiora sunt, iis mandari non soleant, qui superiores gradus assequuti non sunt, perspicue tamen patet perniciosissimarum harum Societatum vim, et audaciam ex omnium, qui iis nomen dederunt, consensione et multitudine coalescere. Itaque ii etiam, qui inferiores illos gradus non sunt praetergressi, scelerum illorum participes haberi debent. Et in eos cadit illud Apostoli ad Rom. C. I. *qui talia agunt, digni sunt morte, et non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Postremo eos, qui cum jam essent illuminati, et gustavissent donum coeleste, et participes facti essent Spiritus Sancti, deinde tamen miserrime prolapsi sunt, et sectas illas sequuntur, sive in inferioribus, sive in superioribus earum gradibus versentur, peramanter ad Nos vocamus. Ejus enim vice fungentes, qui professus est, non venisse se vocare justos, sed peccatores, et se Pastori aequiparavit qui relicto reliquo grege, sollicite ovem quaerit, quam perdidit, eos hortamur et obsecramus, ut ad Christum revertantur. Quamvis enim maximo se polluerint crimine, non debent tamen de Dei, et Jesu Christi filii ejus misericordia, et clementia desperare. Recipiant igitur sese tandem aliquando, et iterum ad Jesum Christum pro iis etiam passum confugiant, qui eorum resipiscentiam non modo non despiciet, sed imo ad instar amantissimi Patris, qui Filios prodigos jamdudum expectat, libentissime accipiet. Nos vero ut quantum in Nobis est eos excitemus, et faciliorem iis sternamus viam ad poenitentiam, suspendimus ad integrum anni spatium post publicatas Nostras has Apostolicas Litteras in Regione, in qua morantur, tum obligationem denunciandi suos in sectis illis socios, tum etiam reservationem censurarum, in quas sectis illis nomen dantes inciderunt, eosque, etiam non denunciatis complicibus, absolvi ab iis censuris posse declaramus a quocumque Confessario, modo sit ex eorum numero, qui a locorum, in quibus degunt, Ordinariis approbati sunt. Quam etiam facilitatem in eos, qui forte in Urbe morentur, adhibendam constituimus. Quod si quispiam ex iis, quos nunc alloquimur, ita pertinax sit, (quod Deus Misericordiarum Pater avertat) ut committat, illud temporis spatium quod designavimus, labi, quin sectas illas deserat, et vere resipiscat, eo elapso continuo et obligatio denunciandi complices, et censurarum reservatio in eum reviviscet, nec absolutionem deinceps impetrare poterit, nisi denunciatis antea complicibus, vel saltem juramento emisso de iis quamprimum denunciandis, nec ab alio poterit iis censuris solvi, quam a Nobis, vel a Nostris Successoribus, aut ab iis, qui a Sede Apostolica ab iisdem absolvendi impetraverint facultatem.

Volumus autem, quod praesentium Nostrarum literarum transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae declarationis, damnationis confirmationis, innovationis, Mandati, prohibitionis, invocationis, requisitionis, decreti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Vigesimo quinto Tertio Idus Martii Pontificatus Nostri Anno Tertio.

B. CARD. PRO-DATARIUS

Pro Dominico Card. ALBANI F. Capaccini Substit.
F. Lavizzarius

Il Consultore Delegato per l' impartizione de' Regj *Exequatur* de' Reali dominj di qua del Faro -- Veduto l'esemplare di Lettere Apostoliche, spedite in Roma il dì 13 Marzo corrente anno, colle quali l' odierno Sommo Pontefice col consiglio de' Cardinali di S. Chiesa *motu proprio*, e con matura deliberazione, dopo di avere rapportato le Bolle nel proposito emanate dai Pontefici Clemente XII nell' anno 1738, Benedetto XIV nell' anno 1751, e Pio VII nell'anno 1821, che espressamente conferma, viene a proibire tutte le società occulte, tanto quelle ora esistenti, quanto quelle, che in avvenire forse scoppiassero, sotto qualunque denominazione esse fossero, comminando la pena della scomunica contro de' settarj, loro complici e fautori da incorrersi *eo ipso* senz' altra dichiarazione, riserbata alla S. Sede -- Veduta altresì la Ministeriale del dì 17 dell' andante rimessa dalla Real Segreteria di Stato degli Affari Ecclesiastici per la impartizione del Regio Exequatur sull' enunciata Carta Pontificia.

Si eseguano le indicate Lettere Apostoliche -- Napoli 18 Aprile 1826 -- *Il Consultore Delegato* -- DOMENICO CRITENI -- *Lo Spedizioniere* -- Pietro Frenna.

Con Sovrana risoluzione presa nel Consiglio ordinario di Stato del dì 18 Aprile 1826, S. M. ha ordinato, che le sopradescritte Lettere Apostoliche si pubblichino, ed eseguano dagli Arcivescovi, Vescovi, ed altri ordinarj de' suoi Reali Dominj, e che si tengano affisse in tutte le Parrocchie, ed altre Chiese più frequentate dal popolo.

INDEX CAPITUM

PARS I.

PARS II.

PARS III.

De Ecclesiae Disciplina.

APPENDIX I.

INDEX

RERUM, ET VERBORUM

A

B

C

D

Episcopi Civitatenses recensentur.

1 Amelgerius an. 1061, 62. pag 79.
2 Rogerius an. 1071, 75. ib.
3 Landulphus an. 1092, vel 1089. pag. 81.
4 N. N. . . . an. 1157. pag. 82.
5 Robertus an. 1179. pag 83.
6 N. N. an. 1210 ib. pag. 84.
7 N. . . . an. 1224 pag. 85.
8 N. . . . an. 1253 pag. 85.
9 N. . . . an. 1301 ib.
10 Petrus . . . an. 1303 pag. 87.
11 Joannes an. 1310 ib.
12 Petrus an. 1314 ib.
13 Ugo an. 1323 ib.
14 Fr. Laur. de Viterbo an. 1330 ib.
15 Joannes circ. an. 1347 pag. 88.
16 Christianus an. 1347 dein Frequentinus ib.
17 Matthaeus an. 1349 ib.
18 Stephanus an. 1367 ib.
19 Fr. Joan. Viterbiensis an. 1367 pag. 89.
20 Benedictus . . . ib.
21 Petrus . . . . ib.
22 Joannes an. 1401 ib.
23 Jacobus Minutulus } administratores pag. 89.
24 et Jac. Caracciolus } ab an. 1412 ad 1478 pag. 90.
25 Nicolaus an. 1478 ib.
26 Petrus an. 1483 ib.
27 Thomas de Nola an. 1501 ib.
28 Pancratius Rotundus an. 1504 ib.
29 Robertus Tribaldescus an. 1505 pag. 91.
30 Ant. de Monte an. 1517 pag. 92.
31 Gaspar de Monte an. 1545. ib.
32 Lucas Gauricus an. 1545 ib. et seqq.
33 Gerardus Raimbaldus an. 1550 pag. 93.
34 Franciscus Alciatus an. 1561. pag. 94.

EPISCOPI S. SEVERI.

1 Martinus de Martinis an. 1581.
2 Germanicus Malaspina an. 1583.
3 Octav. de Vipera an. 1604.
4 Fabritius Varallus an. 1606.
5 Vincentius Caputus an. 1615 pag. 101.
6 Franciscus Venturius an. 1625.
7 Dominicus Ferrus an. 1629.
8 Franciscus Antonius Sacchetti an. 1635.
9 Leonardus Severoli an. 1650.
10 Joannes Baptista Montius an. 1655.
11 Franciscus Densa an. 1658
12 Horatius Fortunatus an. 1670.
13 Carolus Felix de Matta an. 1678.
14 Carolus Franciscus Giocoli an. 1703.

F

G

H

I

L

M

N

O

P

Q

S

T

V

Praecipua, quae properanti typographo exciderunt, sphalmata heic lectori corrigenda adnotare censuimus: reliqua vero, quae minoris momenti visa sunt, aequum lectorem haud morabuntur.

		Errata.	*Corriges.*
Pag. 3	num. 12	virutem	virtutem
— 4	num. 16	vigilemur	vigilemus
— 4	num. 16	pudiciam	pudicitiam
— 5	§. II	mala damnate	mala damnave
— 5	num. 19	eiut	ejus
— 6	num. 2	permanenter	peramanter
— 7	nota 23	Thebae	Thebeae
— 8	num. 3	salutris	salubris
— 9		decliantibus	declinantibus
— 22	num. 56	imitatione	imitationi
— 26	num. 77	riliquiae	reliquiae
— 50	num. 187	compellentes	consulentes
— 51	num. 192	super rem	super re
—	— 193	utor eloquio	utar eloquio
— 52	num. 194	Parcori	Paregori,
	213	S. Rochi, et Mariae Reginae	S. Rochi et Marii Regina
— 56	num. 221	eratque suspensione	eritque suspensioni
— 69	num. 294	diminutae	deminutae
		Nostra inclyti	Nostri inclyti
— 75	num. 320	in vim cap. . . .	in vim cap.
— 76	num. 321	desinat et demoliatur	desinet et dem.
— 104	v. 10	consecravimus. Ecclesiam	consecravimus Ecclesiam
		Emmentissimi	Eminentissimi
		EPISOPIUM	EPISCOPIUM
		more	mor-
		curarit	curavit
		degere habuit	degere necesse habuit
— 108	v. 9	pupularibus	popularibus
— 108	v. 12	Casa	Vasa
— 130	2 col.	VII vel VIII Saeculi	XII vel XIII Saeculi.